
R. VINCENTII
MARTINELLI ROMANI
Ord. Præd. S.T.D.

PISCOPI VENAFRANI
DIOECESANA SYNODVS

Iabita Venafri die xxi. Septembris
Anno Domini 1634.

IN ECCLESIA CATHEDRALI

felicissimis Auſpicys Sanctiſs. Aſsumptionis B. Virginis
ac Sanctorum Martirum Nicandri, & Marciani,
eiuſdem Ciuitatis Patronorum.



MAE, Ex Typographia Reu. Cam. Apoſt. M.DC.XXXV.

Superiorum permiſsu.

(3

12

FR. VINCENTIVS
MARTINELLVS ROMANVS.

S. T. D. Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Venafranus.

Vniuerſis Clero, & Populo Ciuitatis, & Diœceſis Venafranæ ſalutem.

QVæ in præterita noſtra Dioceſana Synodo, ad veſtrum communem omnium inſtructionem, ac vtilitatem obſeruanda decreuimus, vt vnuſquiſque ea frequentius reuoluere, ac faciliusmemoriæ valeat retinere, etiam typis excudenda curauimus. Reliquum nunc eſt, dilectiſsimi, vt ne dum hilari fronte, tam ſalutaria monita excipiatis, quæ vobis paterna charitate proponimus adimplenda, verum etiam omni veſtro conatu ea viriliter exequi ſtudeatis: memores

mores

mores diuini oraculi. *Qui cuſtodit mandatum, cuſtodit animam ſuam: qui autem negligit vias ſuas, mortificabitur*. Apprehendite ergo filij diſciplinam ne quando dicat Dominus: *Quia deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis, ego quoque in interitù veſtrò ridebo*; quod Deus auertat: Sed potius in vobis velle, & perficere pro bona voluntate, miſericorditer operetur. Valete in Domino. Ex Aedibus noſtris Epiſcopalibus, Venafri: Die xxvj. Decembris 1634.

IN

IN NOMINE
Sanctiſſimæ, & indiuiduæ
TRINITATIS
PATRIS, ET FILII,
& Spiritus Sancti, Amen.

NOS Fr. Vincentius Martinellus Romanus S. T. D. Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Eccleſiæ Venafranæ. In hac prima noſtra Diœceſana ſynodo, inuocata prius Spiritus Sancti gratia, ad omnipotentis Dei, ac Beatiſſimæ Virginis SS. Nicandri, & Marciani huius Ciuitatis Patronorum laudem, & honorem, infraſcripta decreta ſtatuimus, & promulgamus.

Quoniam totius Eccleſiaſtici ædificij fundamentum fides eſt, quà corde creditur ad iuſtitiam, vt ait Apoſtolus, ore autem Confeſſio fit ad ſalutem; idcirco ab hac fidei confeſſione, iuxta præſcriptum Bullæ fel.rec.Pij Papæ IV. Diœceſanam hanc primam noſtram Venafraneñ Synodum, inchoandam meritò iudicauimus.

FORMA IVRAMENTI Profeſſionis Fidei.

EGO firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Eccleſia vtitur, videlicet, Credo in vnum DEVM Patrem Omnipotentem factorem Cœli, & Terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium. Et in vnum Dominum IESVM Chriſtum Filium DEI vnigenitum. Et ex Patre natum ante omnia ſæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex MARIA Virgine, & Homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis, ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. Et aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cũ gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioq; procedit. Qui cũ Patre, & Filioq; ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et vnam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſęculi. Amen. Apoſtolicas, & Eccleſiaſtica traditiones, reliquasque eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes, & conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Item ſacram Scripturam iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum Scripturarum, admitto, nec eam vnquam, niſi iuxta vnanimem



conſenſum Patrum, accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta nouæ legis à IESV CHRISTO Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licèt non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre: & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto: Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & Iuſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri DEO verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro viuis, & defunctis; atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem, vnà cum anima, & diuinitate Domini Noſtri IESV Chriſti, fierique conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia Tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantùm ſpecie totum, atque integrnm CHRISTVM verumq; Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo, Purgatorium eſſe, Animaſque ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari. Similiter, & Sanctos, vna cum Chriſto regnantes, venerandos, atque inuocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias eſſe venerandas. Firmiſſimè aſſero

Imagines CHRISTI, ac Deiparæ ſemper VIRGINIS, nec non aliorum Sanctorum, habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem, à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumq; vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam, Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco, Romanoq; Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac IESV CHRISTI Vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac iuro: Cætera item omnia à ſacris Canonibus, & œcumenicis Concilijs, ac præcipuè à ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas, m reiectas, & anathematizatas ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extrá quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſpontè profiteor, & teneo, eandem integram, & inuiolatam vſque ad extremum vitæ ſpiritum, conſtantiſſimè (Deo adiuuante) retinere, & confiteri; atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum, & idem N.

ſpondeo, voueo, ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

AD hanc autem fidei profeſſionem, corã Nobis, vel noſtro generali Vicario faciendam ex Sac. Conc. Trid. Decreto, Prouiſi omnes de Eccleſiaſticis Beneficijs Curam Animarum habentibus, de Canonicatibus, vel Dignitatibus, infra duos Menſes à die captæ poſſeſſionis teneantur, alioquin meminerint ſe fructus ſuos non facere, ac ad reſtitutionem teneri, neque eis captam poſſeſſionem, quò ad eoſdem fructus ſuffragari.

Similiter ante officij ſuſceptionem, tam generalis noſter Vi-

carius, quā cæteri Vicarij Foranei noſtræ Diœceſis, Actorum Magiſtri, cæteriq; noſtræ Curiæ Epiſcopalis officiales, ſiue in hac Ciuitate, ſiue in alijs noſtræ Diœceſis partibus, ad hanc fidei profeſſionem teneantur.

Profeſſores omnes liberalium Artium, Vtriuſq; Iuris, ac Sac. Theolog. necnon qui publicè Grammaticam, ac humaniores literas docent, priuſquam ſua munera inchoent, ad eandem fidei profeſſionem, coram Nobis, vel Noſtro Vicario generali præſtandam, nouerint ſe ex eiuſdem Pij IV. decreto omnino teneri.

Denique artem Medicam, vel Chirurgicam exercentes eandem fidei profeſſionem emittent: ad euitandas præſertim ſuperſtitiones, ac Veneficia; quæ interdum nonnulli imperiti, non ſine maximo fidei noſtræ præiudicio, adhibere ſolent: quà propter, non niſi facta prius huiuſmodi fidei profeſſione ad Medicinam, ſeù Chirurgiam exercendam aliquis in poſterum admittatur vel ſaltim iurabit, ſe neq; Catholicæ fidei puritati contrarias, neq; bonis moribus repugnantes curationes, ægris exhibiturùm, iuxta Lateranenſis Concilij præſcriptum: quòd ad vnguem in tota noſtra Diœceſi præcipimus obſeruari. Quod ſi aliquis id præſtare contempſerit, ſui muneris exercitium à Nobis ei interdicetur.

CAPVT SECVNDVM.

De Hæreticis, Incantatoribus, Artem Magicam exercentibus, & Blaſphemis.

FIdes ergo noſtra, quam corde, et ore profitemur, nedum ab internis Diaboli ſuggeſtionibus, et incurſionibus intacta ſeruari debet, verum etiam viuis virtutum operibus erit comprobanda: ne ſine illis mortua cenſeatur; ideoque omnes, et ſingulos noſtri gregis fideles cuiuſuis ſtatus, gradus, et conditionis exiſtant, paternè admonemus, vt

Arti-

Articulos fidei, ac prima ſalutis rudimenta, ne dumipſi addiſcant, verum etiam propinquos, ac familiares ſuos in illis inſtrui curent.

Ideoque tam in hac noſtra Cathedrali, quam in alijs noſtrę Diœceſis Eccleſijs Parrochus ſingulis feſtiuis diebus Pueros, ac Puellas, cæteroſque rudimenta fidei neſcientes, Doctrinam Chriſtianam, vt ex officio tenentur, publicè doceat, ſub pæna arbitrio noſtro reſeruata, ſi adeo ſanctum hoc, neceſſariumque opus negligenter prætermiſerit. Parrochi ergo, ac Animarum Curati, diligenter inuigilent gregi ſibi commiſſo, ſecretè inquirendo ſæpius infra Annum, an intra ſuæ curæ limites aliquis reperiatur, qui fidei rudimenta ad ſalutem neceſſaria addiſcere recuſet, vt opportunis remedijs ad ea capeſſenda inducatur. Quod ſi quis de fide Catholica aliquo modo ſuſpectus, verbo, vel opere (quod abſit) repertus fuerit, volumus infra octo dierum ſpatium à die habitæ notitiæ computandum, cum Nobis, vel noſtro generali Vicario omnino denunciari.

Ad hanc autem denunciationem omnes, et ſingulos vtriuſq; ſexus fideles cuiuſcumque gradus, et conditionis teneri volumus, niſi cum ab alijs iam denunciatum fuiſſe nouerint: quod ſi id facere recuſauerint, vel ſcienter neglexerint, ſententiam excommunicationis, elapſo termino prędicto, ipſo facto incurrant: et nè aliquo humano reſpectu ab hoc retrahantur, ſciant prò certo, denunciantium nomina, nullo vnquam tempore fore publicanda, niſi aliter inxta Sac. Canon. diſpoſitionem faciendum eſſet.

Eos verò propriè de fide Catholica ſuſpectos eſſe dicimus, qui vel hæreticos ſcienter receperint, vel cum eis amicitiā contraxerint, aut contractā fouerint: Qui verba, quę hæreſim ſapiant protulerint: Qui ſacræ Scripturæ loca contra ſenſum Eccleſiæ accipiunt, et interpretatur, vel rebus obſcænis, ac turpibus accommodant: Qui cibos vetitos, temporibus ab Eccleſia prohibitis, ſine licentia

come-

medunt, vel alijs, in Eccleſiaſticæ legis contemptum, comedere ſuadent. Qui plures vxores, vel quæ plures Maritos reſpectiuè, primo coniuge adhuc ſuperſtite, duxerint. Qui veneficia, incantationes, ſortilegia, et alias Magicas Artes, cum expreſſa, vel tacita Dæmonum inuocatione, aut pacto, vel Sacramentorum, ſeù rerum Sacramentalium abuſu exercuerint. Qui in ſanctos, ac præſertim Beatiſsimam Virginem hæreticales Blasphæmias protulerint, & qui hæreticorum libros domi ſcienter retinuerint, ac legerint.

Porrò ſi illi, qui hæreticos, & de fide Cattholica ſuſpectos non denunciant, excõicationis pæna, vt diximus, puniuntur, Multo magis punientur ij, qui Proceſſuum, & Actorũ quorũcũq; contra prædictos, progreſſum quomodocunq; impedire auſi fuerint, vel teſtes diſſuadendo, vel minis terrendo, nè veritatem pandant, cum præter dictam excommunicationis pænam, grauiora incurrant ſupplicia, iuxta Bullam fęl. rec. Pij PP. V. Quæ incipit. Si de protegendis.

Si quis Magicis Artibus, incãtationibus, ſortilegijs, augurijs, corporis inſpectionibus, cæteriſq; ſimilibus ſuperſtitioſis delirametis, circa ea, quæ à Dei poteſtate pẽdẽt, & ab humano arbitrio oriũtur, inueſtiganda operã dederint, iuxta Canonicas Sãctiones, Bullaſq; Pontificias, grauiſſimè punientur: ſicut etiam ij, qui ſe quibuſdam ſecretis, & cantionibus, morbos abijcere, & inducere profitentur, ac præſertim qui Coniuges ligare, ac matrimonia infęcunda reddere profitentur, & qui in ſimilibus conſilium dederint, pari pęna afficientur.

Execrandum blaſphæmiæ ſcelus in Deum, Beatiſſimam Virginem, ac cæteros Sanctos, quod tam diuinis, quam humanis legibus eſt deteſtatum; vt pænitus de medio tollatur, tanti criminis patrator, pænis mulctetur, iuxta præſcriptum Conc. Lateraneñ ſub Leone X. & Bullam Pij PP. V.

QVoniam lectio librorum prohibitorum, non ſolum ſimplices, ac ignaros decipit, ſed vt plurimum efficit, quod eruditi etiam in varios prolabantur errores: Idcirco, decretis Sac. Conc. Trid. inhærentes, prohibemus ſub pænis ibidem contentis, nè aliquis cuiuſcunque ſtatus, gradus, vel conditionis exiſtat, libros prohibitos in indice vltimo fæl. rec. Clementis PP. VIII. ac in cæteris decretis ſacræ Congregationis Iudicis contentos legere, vel apud ſe retinere, ſine debita ſuperiorum licentia, in ſcriptis obtinenda audeat, vel præſumat.

Et vt facilius huiuſmodi lecturæ occaſio tollatur, volumus, & ſub pæna excommunicationis mandamus, vt quamprimum, quicumque domi ſtudium, vel bibliothecam, etiã paucorum librorum habent, Indicem verum, & exactiſſimum omnium ſuorum librorum conficiant, eumq. Nobis realiter conſignent, ad effectum expurgandi, vel cõburendi, iuxta Regulas in eodem Sac. Concil. Trident. ſtatutas.

Executores verò vltimarum voluntatum, vel hæredes, mortuo teſtatore, inuentarium ſtatim librorum infra menſem conficiant, Nobiſque realiter tradant: nè ipſorum negligentia, fortaſſè vetitos libros domui ſuæ retinendo, prædictarum pænarum rei efficiantur.

Ijs vero, qui libros in Nundinis venales exponunt, vel alios libellos, orationes, fabulas, ac cantilenas per Ciuitates, & loca circumferunt, ne eos vendere audeant prohibemus, niſi prius indice confecto, noſtra vel noſtri Vicarij ſubſcriptione approbato, eoſque vendendi facultate conceſſa.

Denique litanias Sanctorum, & Beatæ Mariæ, præter communes, & eas, quæ in S. ædè Lauretana decantari ſolét, vnuſquiſque ſciat eſſe prohibitas. poterunt tamen addi

ſuis

ſuis locis in Litanijs conſuetis, Sanctorum etiam nomina Patronorum Eccleſiæ propriæ, præſertim SS. Martirum Nicandri, & Marciani huius Ciuitatis Patronorum. Quod verò attinet ad libros Aſtrologicos; Conſtitutionem à Sixto V., & Bullam Sanctiſs. Domini Noſtri Vrbani Octaui nuper æditam, ſub pænis in eis contentis obſeruari mandamus.

De dierum Feſtorum obſeruatione.

CVm duo ſint, ad quæ præcipuè vniuerſi Chriſti fideles diebus feſtiuis Diuino, & Eccleſiaſtico præcepto teneãtur, nempè ad Miſſam audiendam, & ab operibus ſeruilibus abſtinendum, vtrumq; inuiolabiliter obſeruari mandamus. Quapropter circa Feſtorum obſeruantiam nihil in contrarium concedatur ab alio, quam à noſtro Vicario generali, in ijs tantum caſibus, in quibus, vel neceſſitas vrgeat, vel pietas ſuadeat. In Diœceſi verò, à Vicarijs Foraneis, vel ab Archipresbyteris vbi non ſunt Vicarij.

Mercatus, & Nũdinæ, Negotiationes prophanæ in die feſto non fiant, & Iudiciorũ ſtrepitus in cauſis ciuilibus quieſcat; in criminalibus verò, ſaltem tortura reis nè inferatur: niſi fortè ex vrgenti cauſa boni publici, vel exemplaris iuſtitiæ, quod Iudicis conſcientiæ (quam in hoc Dei timoratam fore credimus) duximus remittendum. Notarij denique ac contrahentes, à confectione inſtrumentorum, ac celebratione contractuum, aliarumque ſcripturarum prædictis diebus a' ſtineant, quò melius vacare diuinis, Deoq. debitum cultum exhibere valeant. Similiter meminerint illi, qui famulos, ac famulas, tam intra quam extra Ciuitatem habent, & Oppida, vt nedum ab operibus ſeruilibus eos abſtineri curent; vèrum etiam ad audiendum Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium ſingulis diebus feſtiuis, omni ſublato impedimento inducant, ne vna cum illis, tanti criminis rei efficiantur, ſi ip-

ſorum culpa ſanctum hoc præceptum tranſgrediantur. Cætera verò, quæ ad feſtorum obſeruantiam in noſtra edictali conſtitutione decreuimus, omnino obſeruari volumus. Et ne ob feſtorum multiplicitatem, violationis eorũ occaſio præbeatur; ad infraſcripta tantummodo inuiolabiliter obſeruanda reducimus.

Ianuarii Feſta.

Circumciſio Domini.
Epiphania, ſiue Apparitio Domini Noſtri.

Februarij.

Purificatio Beatiſs. Virginis.
S. Blaſius in Ciuitate, extra ex deuotione.
S. Matthias Apoſtolus.

Martij.

S. Thomas de Aquino.
S. Ioſeph Sponſus B. Virg.
Annunciatio Beatiſs. Virg.

Aprilis.

S. Marcus Euangeliſta.

Maij.

SS. Philippus, & Iacobus Apoſtoli.
Inuentio S. Crucis.

Iunij.

SS. Nicander, & Marcianus, Mart.
S. Ioannes Baptiſta Mart.
SS. Petrus, & Paulus Apoſtoli.

Iulij.

Viſitatio Beatæ Virginis ex deuotione.
S. Maria Magdalena, ex deuotione.
S. Iacobus Apoſtolus.
S. Anna Mater Beatiſs. Virg.

Auguſti.

S. Dominicus Conf., ex deuotione.
S. Maria ad Niues, ex deuotione.
S. Laurentius Mart.
Aſſumptio Beatiſs. Virginis.
S. Roccus Confeſſ., ex deuotione.
S. Bartholomæus Apoſtolus.

Sep-

Septembris.	Commemoratio omnium Defunctorum, in mane.
Natiuitas Beatiſs. Virginis.	S. Martinus Confeſſ.
SS. Ianuarius, & Socij Martt.	Præſentatio Beatiſsimæ Virginis, ex deuotione.
S. Matthæus Apoſtolus.	S. Andreas Apoſtolus.
Dedicatio S. Michaelis Archangeli.	*Decembris.*
Octobris.	Conceptio Beatiſsimæ Virginis.
S. Franciſcus Confeſſ.	S. Lucia Virg. & Mart., ex deuotione.
S. Lucas Euangeliſta, ex deuotione.	S. Thomas Apoſtolus.
SS. Simon, & Iudas Apoſtoli.	Natiuitas Domini Noſtri cum tribus diebus ſequentibus.
Nouembris.	S. Silueſter Confeſſ.
Feſtum omnium Sanctorum.	

FESTA MOBILIA.

Feria V. in Cæna Domini vſque ad Nonam, ex deuotione.
Paſcha Reſurrectionis cum duobus diebus ſequentibus
Aſcenſio Domini Noſtri.
Pentecoſtes cum duobus diebus ſequentibus.
Feſtum Corporis Chriſti.
Omnes dies Dominici.

De Ieiunio.

IEiunium corporale à Deo Optimo Maximo inſtitutum à Moyſe, & Prophetis vſu receptum, ac Saluatoris Noſtri exemplo comprobatum, quod inter Pænitentiæ fructus maximè pollet: cum nihil eo aptius carnis libidini reprimendæ, mentiſque puritati conſeruandæ ſalubrius exiſtat,

ſtat, ſtatutis ab Eccleſia temporibus. Nempe quatuor Anni temporibus, Quadrageſima, & Vigilijs ſub peccati mortalis pœna præcipitur. Similiter abſtinentia ab eſu carnis ſingulis ſextis Ferijs, & Sabbatis per annum (die Natiuitatis Domini, ſi in illis inciderit excepto) ex præſcripto Eccleſiaſtico ſub eadem pæna ſeruari mandatur.

Et quia facilius tunc adimpletur præceptum, cum tranſgreſſionis tollitur occaſio, prædicto ieiuniorum tempore carnes publicè vendi nolumus, ſed in ſecreto, pro infirmorum tantum vſu: impetrata tamen à Nobis prius licentia in ſcriptis gratis concedenda, Sabbato ſancto tantum excepto: quod ſi laniones, ſeù alij Apothecarij, contra huius decreti tenorem vendere reperti fuerint, apertis apothecis, penæ ſoluendi qualibet vice, aureos duos volumus ſubiacere.

Nullus autem prædicto ieiuniorum tempore, ſine noſtra, ſeu noſtri Vicarij generalis licentia in ſcriptis, carnes comedere audeat, quæ licentia ſine Medici ſubſcriptione non concedetur. Ideoque Medicos diſtrictè monemus, ne in huiuſmodi conſilijs ſe faciles præbeant, nec ægrotis carnes appetentibus, tam cito credant, memores quod ſi aliqui gulæ indulgendo, ex eorũ conſilio ſuauiter comederint, eorum dentes, in extremo Iudicij die obſtupeſcent.

Et vt cũncti ſciant, feſta per totum annum occurrentia: ac vigilias, ne ſimplices, ac rudes in vtraque obſeruantia excuſari poſſint: volumus, ut per Parrochos, cæteroſque Curatos inter Miſſarum ſolemnia tam in hac Ciuitate, quam in cæteris Eccleſijs, huius noſtræ Diœceſis, uigiliæ, ac feſtiuitates Populo annuncientur.

De Parrochis, ſeu Curam Animarum exercentibus, eorumque reſidentia.

PArrochi cæterique curam Animarum exercentes, quam graue ſuſtineant onus, cum de Animabus ſibi commiſ-

ſis

ſis exactiſſimam Deo ſint redditturi rationem, continuò excogitent, ne aliquam ex illis, ipſorum culpa pereuntem, de manu eorum requirat Dominus: Ideoque Populum eis ſubiectum, nedū ſingulis feſtiuis diebus Dei verbo inſtruere curent, verum etiam probitate vitæ, ac virtutum exemplis ſtudeant ædificare; cum ipſi quaſi lucernæ ardentes ſuper candelabrum ſint expoſiti, vt luceant omnibus, qui in domo ſunt.

Præſertim verò diebus Dominicis caueant, ne laudabile, ac neceſſarium exercitium inſtruendi pueros, & puellas in his, quæ ſpectant ad fidem circa Doctrinam Chriſtianā, prætermittant, ſub pæna ſuſpenſionis ab adminiſtratione Sacramentorum. Parentes verò ſi filios, & filias ad hoc ſaluiferum exercitium nec miſerint, nec duxerint, ſaltim diebus Dominicis, vnde ob eorum negligentiam fidei rudimenta, ac neceſſaria ad ſalutem non didicerint. vltra diuinam offenſam, quam in hac parte committent; volumus quod à Curatis eorumq; Confeſſarijs non ita facile abſoluantur, niſi prius circa hoc decretum, munus ſuum, quantum erat ex parte ipſorum, adimpleuiſſe docuerint.

Et quia proprium eorum officium eſt, Sacramenta reuerenter cuſtodire, ac promptè debita cum charitate Populo adminiſtrare, ne ipſis dicatur, Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis; Idcirco diligenter inuigilent, ne aliquis è vita decedat, quin prius omnia Eccleſiaſtica ſacramenta receperit: quæ volumus per alios ægrotis præſertim, adminiſtrari, ſed per ſe ipſos: niſi fortè aliquando propter ægrotorum multitudinem, vel aliud legitimum impedimentum, alterius probi Sacerdotis miniſterio, & adiutorio indiguerit, ex illis; qui à Nobis ad huiuſmodi adminiſtrationem fuerint approbati. Caueant verò, ne Sacramentum Euchariſtiæ deferant non ieiunis, niſi in caſu extremæ neceſſitatis, & in mortis articulo, ſub pænis Nobis arbitrarijs.

Claues fontis Baptiſmalis,ſacrorũ Oleorum,ac ipſius ſacroſanctæ Euchariſtiæ,nemini fidant, ſed apud ſe met ipſos diligenter cuſtodiant: nec aliorum manibus tradi permittant,ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis.

Et quia tota diabolicæ fraudis aſtutia in eo ſita eſt, vt fideles in mortis articulo decipiantur; ideo Curati nil magis curare debent, quam conſtitutis in extremo vitæ diſcrimine, omne auxilium conferre, nec eos,vſque ad extremum vitæ ſpiritum deſerere, eorum Confeſſiones ſæpius audiendo, ſcrupulos remouendo, ac ad repellẽdas diaboli tentationes, Deique miſericordiam implorandã, & actusq; contritionis ſæpe habendos hortando.

Quod ſi aliquis ex hac vita, ſine Sacramentis (Parrochorum, vel eorum ad quos ſpectat, culpa) migrauerit, ab officio, & Beneficio ſtatim ipſo facto ſuſpenſus ſit: & ſi pluries in eandem culpam inciderint, etiam beneficij priuatione puniatur. Ideoque omnes ad quorum notitiam huiuſmodi caſus, ſi aliquando contingat (intra biduum ſi fuerint in Ciuitate) nobis, vel noſtro generali Vicario denunciare teneantur;ſi extra, Noſtris Vicarijs foraneis: qui rei veritate à Conſanguineis, & domeſticis Defuncti inueſtigata, Nos certiores faciant, ne impunitatis exemplo, huiuſmodi negligentia,in perniciem tranſeat Animarum.

Inuigilent Parrochi,an in ſuis curis præter ea,quæ diximus ſupra, adſint publici peccatores,nempe Concubinarij, Vſurarij, Simoniaci, vel odia radicata, & inimicitiæ,eoſque ſtudeant charitatiuè ad bonam frugem reducere,pacẽque inter inimicos conciliare: quod ſi nihil ſe proficere cognouerint,rẽ ad nos deferre teneãtur:vt authoritate noſtra ad efficaciora remedia deueniatur. Pauperes pupillos, Viduas,ac Virgines ægeſtate laborantes,commendatas habeant, eiſque ſubueniant, ac cæteros ad ſubueniendum illis hortentur: denique nos certiores faciant, vt ipſis,quantum in Domino poſſumus,ſubueniamus.

Nul-

Nullus Parrochus, vel Curatus, aliquem à Dæmone obſeſſum, ſine noſtra ſpeciali licentia exorcizet: neque aliquẽ alium aliquem alium intra curæ ſuæ limites, id facere permittat. Poſthac excõmunicationes per vias publicas, & plateas non amplius fulminentur, ſed ſolum in proprijs Eccleſijs: liceat tamen die præcedenti, publicationis notam affigere, ad maiorem populi notitiam.

Cum Parrochorum, ac Curatorũ abſentia ab Animabus ſibi commiſſis, pernicioſa ſummopere ſit, ideo decreta à Sac. Conc. Trid. & S. D. N. Vrbani VIII. ſuper eorum reſidentia, omnino obſeruari mandamus, ita vt nunquã eis extra à proprijs Parrocchijs diſcedere, & pernoctare liceat. In repentinis tamen caſibus, in quibus vrgens neceſſitas moram non patitur alibi eundi, poterit diſcedere, dummodò de ſuæ abſentiæ cauſa, ſtatim certiores nos reddat: Quæ ſi rationabilis fuerit, admittetur, ſin minus, qui ita diſcedet, pænas non reſidentium incurret.

De Sacramentis, eorumque adminiſtratione.

OMnia ſacramenta nouę legis à Chriſto Domino inſtituta, debita reuerentia, ac ſanctitate, nedum ſuſcipi, verum etiam tractari debent; ideoque qui ea adminiſtrant, non niſi mundam mortalis culpę labe conſcientiam, vel ſaltem contritionem animo confitendi habeãt, ne quod datum eſt in ſalutem ſuſcipientium, adminiſtrãtium culpa, in Iudicium eorumdem tranſeat Animarum.

Nullus Sacerdos in poſterum Sacramentum aliquod audeat adminiſtrare, niſi prius à Nobis examinatus, & approbatus fuerit, excepto Sacramento Matrimonij cuius adminiſtratio Parrochi arbitrio committenda relinquitur, iuxta diſpoſitionem Sac. Conc. Trid. circa verò aliorum Sacramentorum adminiſtrationem, receptos, & approbatos ab Eccleſia Romana ritus, & cæremonias, ita obſeruari mandamus, vt nemini liceat illis aliquid ad-

 dere,

dere, vel demere, ſub pæna arbitrio noſtro reſeruata.

Sacramenta gratis omnino adminiſtrari debent,omni prorſus,non ſolum ſimoniæ labe, ſed etiam auaritiæ ſuſpicione excluſa. Idcirco caueant omnes, ne in eorum adminiſtratione quidquam exigant, aut etiam verbis, vel ſignis directè,vel indirecte petant: qui ſecus fecerit, vltra pænas à iure ſtatutas, per Annum erit ab adminiſtratione illius Sacramenti ſuſpenſus.

Olea ſacra ſingulis Annis conficiantur, & renouentur veteribus combuſtis,cineribus in Sacrarium demiſſis: quod ſi per nos,vel abſentes,vel legitimè impeditos, ea confici non poterunt,Generalis noſter Vicarius ab Epiſcopo viciniori,eam quantitatem confici curet, quæ pro totius noſtræ Diœceſis vſu ſufficere poſſit, & vbique in tribus vaſculis æneis, ſtamneis,vel argenteis decenter aſportentur,& cuſtodiantur. Nemini autem (exceptis Parrochialibus Eccleſijs) ſine noſtra licentia,ſub excommunicationis pæna concedantur.

De Baptiſmo.

INter omnia Eccleſiæ Sacramenta,meritò Baptiſmus primum obtinet locum,vtpotè noſtræ ſalutis ianua,noſtręq. iuſtificationis,externũ, ac viſibile principium. Ideoque maxima pietate,ac reuerentia exhibendus, ac ſuſcipiendus eſt. Aqua pura,ſimplex elementaris,materia eſſe debet, ac etiam benedicta, quando ita haberi poſſit. Forma autem: Ego tè Baptizo In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Intentio verò Baptizantis, in eo conſiſtit, vt illud facere intendat, quod ſancta Mater Eccleſia facit.

Huius ergo Sacramenti,ordinarius miniſter Parrochus, vel alius Sacerdos,à Nobis tantum approbatus de noſtra, vel Parrochi licentia eſſe debet. In caſu verò neceſſitatis, & vbi vitæ imminet periculum, omnes ſiue Mares,ſiue Fæminæ

minæ baptizare poſſunt: Ita tamen, vt præſente Sacerdote, vel Clerico, Laicus non baptizet, neque preſente Viro Mulier, ſed dignior ſemper, ſiue ordine, ſiue ſexu, ſiue ætate præferatur. Qui verò ita fuerit baptizatus, ſi periculum mortis euaſerit, ad Eccleſiam quam primùm deferatur, vt exorciſmus, Cathechiſmus, præces, atque aliæ cæremoniæ ex inſtituto Eccleſiæ ſuppleantur.

Et quia plerumque huiuſmodi neceſſitas in partu accidere ſolet, in quo obſtetrices hoc ſacramentum adminiſtrant; idcirco nulla in poſterum, obſtetricis officium exerceat, niſi prius in Cathedrali per Sacriſtam, in Parrochijs per Parrochos, præuio diligenti examine fuerit approbata: cui ſi ſubijcere ſe recuſauerit, & baptizare nihilominus auſa fuerit, excommunicationis ſententia feriatur Prædictæ autem obſtetrices, in primis inſtruantur, ne faciles ſe præbeant in conferendo Baptiſmo, niſi vrgens periculum adſit: deinde, vt verba ad formam ſpectantia rectè, ac diſtinctè proferant; demum, vt non alia, quam pura, ſimplici, & elementari aqua in baptizando vtãtur. Parrochi, vel alij Sacerdotes baptizantes, diligenter aduertant, ne ſemel baptizati, iterum baptizentur. Ideoque ſemper inquirant, an certum, vel incertum ſit eos fuiſſe baptizatos: quod ſi pro certo nouerint fuiſſe baptizatos, à baptizando abſtineant, & ſolum reliqua de more Eccleſiæ ſuppleant; at ſi dubia res ſit, ſub conditione baptizent, ſcilicet, ſi non es baptizatus, Ego tè baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen; ſed ſi es baptizatus, Ego tè benedico in nomine, &c.

Moneant ſimiliter Parrochi gregē ſuum, vt baptiſmū Puerorum accelerent, nec in longum protrahant: ideoque infra ſex dierum ſpatium ad ſummum, eos baptizari curent: nec alibi in Ciuitate, quam in Eccleſijs ad hoc deſignatis, & in Diœceſi in Eccleſijs Parrochialibus, caſu tantum neceſſitatis ſecluſo; Baptizandis verò nomina ridicula, vel turpia, ſeu gentilium non imponantur, ſed

illorum tantum, qui ob Cattholicæ religionis, virtutiſq. Chriſtianæ laudem, ſanctorum numero ſunt adſcripti, à quibus auxilium ad ſalutem, tum animæ, tum corporis, infantis ſperare valeant.

Ad ſuſcipiendos in Baptiſmo Infantes non admittantur, qui non ſint tempore Paſchatis confeſſi, prima fidei rudimenta neſcientes, publici Concubinarij, & qui ſunt nominatim excommunicati: ſicut nec etiam regulares, vel ſæculares Clerici abſque noſtra ſpeciali licentia. Compatres verò, vel Commatres plures non ſint, ſed vnus, ſiue Vir, ſiue Mulier, aut ad ſummum duo, Vir ſcilicet, & fęmina, iuxta Sac. Conc. Trid. decretum: qui ſe ad erudiendum Pueros, vel Puellas fidei rudimenta teneri, ſi eorum Parentes in hoc cognouerint negligentes, ſciant.

Moneant ſimiliter Parrochi, in collatione Baptiſmi, ſpiritualem cognationem contrahi, quæ primum gradum non excedit, ſolum inter leuantes, & leuatum, eiuſque Patrem, & Matrem, baptizantem, & baptizatũ, eiuſque Patrem, & Matrem. Inter baptizàntem vero, & Compatrem, & Commatrem, aut inter hos duos, nullum cognationis vinculum intercedere, ſicut nec inter coniugem ſuſcipientis, & ſuſceptum iuxta eiuſdem Conc. Triđ. decreta ſeſſ. 24. de Refor.

Curent denique Parrochi, Baptiſmalem fontem, ea qua decet munditia, & clauſura cuſtodire, ne quid indecens in illum cadat, vnde aqua fœdetur. Sit etiam lapideus, ne vel aqua diffluat, vel ſucceſſu temporis exiccetur: Quapropter eũ ab ipſis ſępius viſitari mãdamus. Curent ſimiliter, vt illi Sacrarium adiungatur, vbi aqua illa, qua caput Infantis abluitur, ſtatim inijci poſſit.

Denique librum habeant Parrochi, in quo nomina Baptizati, Parentum, Compatris, vel Commatris, Dies, Menſis, & Annus adnotentur, iuxta formulam vulgari ſermone in calce huius Synodi apponendam.

De Confirmatione.

CONfirmationis Sacramentum, quod Sanctiſſimæ Trinitatis nomine per Epiſcopalium manuum impoſitionē ChriſtiFidelibus ſacro Baptiſmo renatis exhibetur, vt in Chriſti militia ſignati, ſecurius aduerſus viſibiles, ac inuiſibiles hoſtes pugnare valeant, ſumma religione,ac deuotione ſuſcipiendum eſt. Ideoque Parrochi aliquo die feſto, qui huius Sacramenti adminiſtrationem præcēdat, tempus promulgent, eiuſque præſtantiam, ac ſalutares effectus Populum doceant, Edictum Epiſcopi publicent, vt confirmandi, ad tantum Sacramentum ſuſcipiendum, melius præparentur, præſertim Adulti,qui prius peccata confiteantur, vel ſaltem animo confitendi ad illud ſuſcipiendum accedant, ſi copia non adſit Confeſſarij.

Sacramentum hoc, quoniam reiterari nequit, & ad confirmandos in fide fidelium animos exhibetur, nō niſi quartum ætatis annum excedentibus conferri æquum eſt, vt illi huius ſuſceptionis aliqualem cognitionem habeant, & reminiſcentiam. Quibus autem prohibuimus de Baptiſmi fonte ſuſcipere, prohibemus etiam cònfirmandos tenere. Vnus tantum, & non niſi confirmatus, vnum teneat, vel vnam, vel ad ſummum eadem die duos. Confirmandus verò, ſi paruulus ſit,in dextero bracchio, ſi adultus intra dexteram collocetur,& pedem ſiniſtrum,ſupra dexterum habeat tenentis.

Confirmatorum nomina confirmantis Epiſcopi, & tenentium,Parrochi adnotent,ſicut de Baptiſmo diximus,iuxta formulam inferius apponendam.

De Pænitentia.

PAEnitentiæ Sacramentum, quod meritò à Sanctis Patribus, ac Sac. Conc. Trid. ſecunda Tabula poſt nau-

fra-

fragium appellatur, à cunctis Chriſtifidelibus in debita cognitionis ætate conſtitutis,frequentari debet, dicente Domino:niſi Pænitentiam egeritis,omnes ſimul peribitis.

Nullus Sacerdos,, ſiue ſecularis,ſiue Regularis, Sacramentalem Confeſſionem audiat alicuius,abſque noſtra licentia,& à Nobis approbatus,ſub pęnis ſuſpenſionis,& alijs, tam à Sac.Canon. quam à ſummis Pontificibus promulgatis. Qui vero à Nobis approbatus fuerit ad hoc Sacramentum adminiſtrandum, caueat ne mortifero peccato inquinatus, neque cenſura Eccleſiaſtica, vel alio Canonico impedimento irretitus, ad illud accedat, ſed ſtudeat ita ſanctè viuere, vt pænitentes non verbis ſolum, ſed exemplis ad virtutum Chriſtianarum officia erudere poſſit.

Huiuſmodi Confeſſiones non in priuatis domibus, niſi ex vrgentiſſima cauſa audiant Confeſſarii, ſed in Eccleſia, &in ſede Confeſſionali, bireto, ſuperpelliceo, & ſtola induti præſertim diebus feſtiuis, ac tempore Aduentus, & Quadrageſimæ. Mulieres vero ante Solis ortum, vel poſt eius occaſum confitentes non audiant, niſi in hebdomada ſancta, in qua,vrgente neceſſitate,accenſis coram ſede confeſsionali luminibus id permittimus.

Sedes Confeſſionales in Eccleſia conſpicuis in locis diſponantur, extra quas nemini confeſſiones audire liceat, præterquam virorum in caſu neceſſitatis, quæ quidem ſedes tabulam intermediam inter pænitentem, & Confeſſarium habeant cum feneſtella, quæ pluribus foraminibus plena ita claudatur, vt auditum non impediat, & mutuum contactum, vel clarũ aſpectũ valeat prohibere, & ibi ſolum mulierum confeſſiones audiantur, & non alibi. In ea verò parte ſedis vbi pænitens confitetur, Bullam Cænæ Domini, ac notulam Caſuum nobis reſeruatorum affigi volumus, ſub pæna ſuſpenſionis tranſgreſſoribus.

Caueant Confeſſarij à Nobis approbati, ſiue ſæculares, ſiue

ue Regulares, ne iuxta decreta fæl. record. Clementis Papæ VIII. cuiuſuis priuilegij prætextu, aliquem ab ijs caſibus abſoluant, qui in Bulla Cænæ Domini publicari ſolita continentur, neque ab ijs peccatis, quorum abſolutionem Nobis reſeruauimus. Ideoque primum interrogent pænitentem circa caſus Sedi Apoſtolicæ, vel Nobis reſeruatos, antequam ad vlteriora progrediãtur.

Similiter aduertant, nè aliquem prius à peccatis abſoluãt, quam ab excommunicatione, neque eum, qui odium, aut inimicitiam deponere nolit, vel reſtituere recuſet alienum, vel in ſtatu peccati mortalis conſtitutus, paratus non ſit ipſum peccatum, eiuſque proximam occaſionem vitare, ſed ſolum dimiſſa prius tali occaſione, & experientia facta ſuæ conſtantiæ, tunc abſoluatur.

Cõfeſſarij ad ægrotantium confeſſiones audiendas vocati, ad tam neceſſarium, & pium opus implendũ, nulla interpoſita mora accedere feſtinent, & quo in ſtatu relinquãt Aegrotum, Parrocho nunciandum curent, vt ſi opus ſit, ei reliqua exhibere ſacramenta non differat. Confeſſos verò, ante debitam ſatisfactionem non abſoluant, præſertim ſi bona Eccleſiaſtica aliqua occupata detineant, vel famæ proximi detraxerint, vel falſum in iudicio depoſuerint. Idcirco moneant Parrochi ſubditos ſuos, quod peccat mortaliter teſtis, qui iuratus, vel iniuratus, verum eſſe in iudicio affirmat, quod ſcit eſſe falſum, aut tacet verum in notabile alterius partis damnum, cum obligatione ſuum dictum reuocandi, ſi reuocatio prodeſſe poſſit; vt ſi ſtatim poſt atteſtationem ſe corrigat; & etiam ex interuallo antequam ſententia feratur, ſaltem ad debilitãdum ſuum primum dictum, quia ſecundo teſtimonio, & non primo creditur, quando Iudici conſtaret, ſe conſcientiæ ſtimulo, primum dictum reuocare.

Cum teſtis contra aliquem depoſuerit, nempe contra vitam innocentis, famam, honorem, & bona temporalia, ſi innocens in periculo verſetur perdendi vitam, tenetur

teſtis etiam cum propriæ vitæ periculo retractare dictum ſuum; reſtituere autem famam non tenentur cum periculo vitæ ſuæ, ad damna verò omnia ſequuta ex fama iniuſtè ablata, & ex falſa depoſitione in bona temporalia tenētur:propterea ſint cauti,& aduertant Confeſſarij circa ipſorum abſolutionem; Quod ſi ægrotus hæc omnia tunc præſtare nequeat, præſtita iuratoria cautione de ijs adimplendis, ſi ad priſtinam ſalutem reducatur, abſoluatur.

Ad audiendas Confeſſiones,non inani gloria, non lucri cupiditate, non curioſitate, non denique vllo humano affectu ducti, ſed ſalutis fidelium procurandæ ſtudio inflammati, accedent.Ideoque præcipimus Confeſſarijs,vt quoad fieri poteſt,ſe abſtineant à pecuniarijs pœnitentijs: & ſi aliquando perſonæ, & criminis ratio, vt tales imponantur, requirat, eas ſibi nullo modo attribuant: quod ſi pœnitentiæ gratia Miſſas aliquot celebrandas cōfitenti impoſuerint, ipſi quidem hoc onus, ne ſuſcipiant, ſed ad alium Sacerdotem remittant, & ſimiliter ſi reſtitutio facienda ſit, Confeſſores huiuſmodi negotium per ſe ipſos non exequantur; quod ſi aliter fieri nequit abſq. periculo, ne res pateſiat, tunc ſolutionis chirographum ab eo, cui ſoluitur, acceptum, ipſi pænitenti ſtatim tradant, ſub pæna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda.Similiter in mortis articulo conſtitutis, ſeu quibuſcumque ægrotantibus nullo pacto perſuadeant, etiam prætextu pietatis,ac Religionis bona ſtabilia, vel mobilia ad ipſorum Monaſteriorum fauorem, ſub pæna eiuſdem ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda.

Secretum,& ſigillum Confeſſionis,ita ſeruent, & cuſtodiāt, vt nihil ex eorum ore excidat,quod in notitiam aliorum perducere poſſit illa peccata, quæ ipſi à pænitentibus audierunt. Et ſi quando ab aliquo alio Sacerdote conſilium petendum eſſet, & ſuperior conſulendus foret, ita caſum ſtudeant explicare,vt non ſolum ex ipſius generalitate

litate, verum etiam omni alio meliori modo, perſonæ cõfitentes non depræhendantur.

Denique Pænitentium conſcientias diligenter examinent, non ſolum ſeptem peccata mortalia, diuina, & Eccleſiaſtica præcepta percurrendo, ſed etiam perquirant, an in prȩteritis Confeſſionibus, impoſitas eis ſatisfactiones impleuerint, An ſufficiens commiſſorum peccatorum examen confecerint, & in fine Confeſſionis, an veram contritionem firmo, ac conſtanti animo in poſterum abſtinendi habeant, ne defectu alicuius ex his conditionibus, abſolutionis beneficij incapaces reddantur.

CASVS RESERVATI ILLVSTRISS. ET REVErendiſs. D. Epiſcopo Venafrano.

1 *Non ſoluentes Decimas, & Quartam Eccleſijs, & Eccleſiaſticis perſonis: ac etiam Pia Legata, Canones, & Cenſus Eccleſiaſticos.*

2 *Remouentes, ſeu impedientes voluntatem Teſtatoris teſtari volentis ad pias cauſas, eamq; occultantes.*

3 *Blaſphemantes Deum, & Beatã Virginẽ ex conſuetudine*

4 *Sortilegia Maleficia, & incantationes exercentes cum inuocatione Dæmonum, implicitè, & admixtione rerum Sacramentalium.*

5 *Peccatum contra naturam, quoad actum ſodomiticum, & beſtialitatis.*

6 *Incœſtum cum Conſanguineis, & affinibus vſque ad quartum gradum excluſiue, & ex illicito concubitu vſq; ad tertium excluſiuè.*

7 *Publicus Concubinatus.*

8 *Falſum Teſtimoniũ in iudicio ferentes, & Teſtes ſeducẽtes*

9 *Infantes in cubili retinentes infra annum, ob periculum illos ſuffocandi.*

10 *Bona Epiſcopatus, ac Beneficiorum, & Piorum locorum vſurpantes, ſeu retinentes.*

De Sanctiſſimo Eucharistiæ Sacramento.

SAcroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, in quo præcipuum, & maximum Dei donum, immo totius gratiæ, & Sanctitatis fons, & Author Chriſtus Dominus continetur, ſumma reuerentia, pietate, & angelica (ſi fieri poſſet) animi puritate ſuſcipiendum eſt. Ideoque nullus ad illud accedere audeat, niſi confeſſus vel ſaltem, ſi copia confeſſarij non adſit contritus: ne accedens indignè, æternum ſibi iudicium manducet, & bibat: Nullus, qui rationis vſu non polleat, ſeu notoriè interdictus, aut excommunicatus, vel mente captus admittatur, niſi huiuſmodi impedimentis ſublatis.

Idcirco, vt in poſterum notitiam habeamus, vtriuſque ſexus Chriſti fidelium, qui præcepto Eccleſiæ paruerint in Paſchate de eo ſuſcipiendo, ſicuti tenentur, præcipimus omnibus noſtræ curæ quomodolibet ſubiectis, vt non niſi in propria Parrochia à proprio Curato Euchariſtiæ Sacramentum in Paſcha ſumant (exceptis Eccleſiaſticis, qui in proprijs Eccleſijs, & à proprio ſuperiore illud ſumere tenentur) nec alteri confiteantur pro illa vice, niſi de licentia noſtra, vel proprij Parrochi; cui teneantur ſchedam exhibere, ſiue atteſtationem ſuæ abſolutionis, antequam Euchariſtiam ſumant; Parrochus verò atteſtationes illas recipiat, ac conſeruet ad effectũ poſtea cognoſcendi, an aliquis ſuæ curæ ſubiectus Eccleſiæ præcepto non ſatisfecerit. Abſentes verò, vel itinerantes in eorum reditu, ſimilem atteſtationem proprio Parrocho oſtendere teneantur, vel iterum præcepto ſatisfacere: ac deniq; eorũ nomina qui Eccleſię pręcepto non paruerint, Nobis infra dies quindecim, à termino fidelibus præfixo, Parrochi, ſeu Archipresbyteri notificare teneantur, vt eorum ſaluti prouideamus.

Inquirant etiam Parrochi, an aliqui ſint in Populo publici

blici Concubinarij, Meretrices, Feneratores, Blaſphęmi, vel alijs publicis criminibus, aut ſceleribus irretiti; qui licet ſe peccata confeſſos eſſe, alicuius Confeſſarij teſtimonio afferant, nullo modo ad hoc ſacramentũ admittantur; niſi prius eos vitam, ac mores re ipſa emendaſſe notum fuerit: ſub pæna Parrochis ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda, ac alijs arbitrio noſtro infligendis. Illi verò, qui hoc ſaluberrimum, ac ſacroſanctum Sacramentum ſuſcipiunt, decenti corporis habitu, humiles, ac modeſti, armiſque depoſitis, ac totius corporis compoſitione accedant.

Ad tanti Sacramenti frequentiam, ne dum Confeſſarij, ſed Concionatores etiã, vtriuſque ſexus Chriſti fideles excitabunt, curabuntque, vt præter Paſchatis communionem, quæ Eccleſiæ præcepto eſt neceſſaria, etiam in præcipuis anni ſolemnitatibus communicent; cum nihil ad ſpiritualem vitam vtilius, & ad reſiſtendum diaboli tentationibus validius, hac ſacroſanctæ Euchariſtiæ frequentia reperiri poſſit.

Et vt hoc Sacramentum ſumma religione, ac reuerentia deferatur ægrotis, Curati, ac Concionatores ad illud comitãdum Populum frequenter hortentur, nec priuſquam datum fuerit conſuetum campanæ ſignum, nec ſine debitis luminaribus quatuor ad minus, tintinnabulo, decoro Vaſculo, velo decenter contecto, iuxta facultates ſodalitatis SS. Corporis Chriſti, deferatur. Sacerdos verò, ex approbatis tantum à Nobis, non niſi ſuperpelliceo, ſtola, & pluuiali indutus ab Eccleſia diſcedat, duaſque ſaltem particulas ſacræ Euchariſtiæ in prædicto vaſculo deferat, ne Populus in regreſſu inane vaſculum adoret. Qui verò illud obuiam habuerit, ob debitam reuerentiam ac religionem, vſque ad domum eius, cui miniſtrandum eſt, & ad eccleſiam, ad quam reditur comitari non deſit.

Cum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum feria v. in

Cæna Domini conditur in ſepulchro locus, omni qua decet grauitate, prætioſioribus, quam fieri poteſt ornamentis, luminibus, & lampadibus accenſis exornetur, atque ita diſponatur, vt nulli, præterquam aſſiſtentibus Sacerdotibus, ac Clericis, pateat aditus, non tamen proſpectus fidelibus omnino prohibeatur. Similiter, quãdocunque Sanctiſſima Euchariſtia publicè exponenda eſt (quod tantum ex publica cauſa, & à nobis probanda, etiam in Eccleſijs Regularium liceat) ardeant in Altari, duodecim ſaltem luminaria, & duo ſaltim cum ſuperpelliceis hinc inde, ſingulis horis aſſiſtant, diſtribuendi per noſtrum Ceremoniarum Magiſtrum; & ad ſummum prima Noctis hora, diebus ſingulis adoratio concludatur: ob priuatam tamen cauſam (dummodo ſacroſancta hoſtia non videatur, vel ſacra pixis è tabernacolo non extrahatur) liceat Regularibus in eorum Eccleſijs adorandam exponere.

Sacerdotes omnes, tam in hac Ciuitate, quam in cæteris noſtræ Diœceſis partibus, ad huius ſaluberrimi Sacramenti frequentiam, quantum in Domino poſſumus, hortamur: quod ſi aliqua aduerſa corporis valetudine legitimè impediti celebrare nequeant, ſingulis ſaltem diebus Dominicis, alijſque feſtis communicare debent. Diaconi, ac Subdiaconi Diebus Dominicis, & ſolemnibus, & præſertim quando altari miniſtrant, communicent. Clericos verò ſingulis menſibus ſemel (hoc eſt in prima Dominica) ſacra Communione refici volumus. Indeuotos, ac negligentes, diligenter adnotent Sacriſtæ, Nobiſque referant; extra verò, noſtro Vicario foraneo, vt eorum indeuotioni prouideamus.

Et quia laudabilis conſuetudo, vbiq. inoleuit, vt per octauam Corporis Chriſti, ſingulis diebus ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum in Eccleſia publicè exponatur, & per eam proceſſionaliter deferatur; Volumus quod etiam in hac noſtra Cathedrali Eccleſia, ſaltim in mane

per

per totam octauam in Miſſa maiori ſacroſancta Euchariſtia exponatur, ac poſt Miſſam per Eccleſiam proceſſionaliter circumferatur, cui ſolemniter vniuerſus Clerus intereſſe teneatur cum noſtro Capitulo, ſub pœna ſtatuta abſentibus à Cappellis, & Proceſſionibus, pijs vſibus applicanda.

De Celebratione Miſſarum.

AD Sacroſanctam Miſſæ ſacrificium peragendum (in quo mortis Dominicæ memoria in Eccleſia renouatur cruentaque illa hoſtia, quam Chriſtus Dominus immaculatam pro peccatis totius mundi æterno Patri obtulit, incruente repræſentatur) ſumma animi diſpoſitione, ac puritate Sacerdotes accedere debent. Quapropter, vt ſalubrius tantum exerceant munus, non niſi matutinis ſaltem perſolutis ac feruenti præmiſſa oratione, illud peragere curent; ideoque in qualibet Sacriſtia, parua ſint Oratoria, vel ſaltem in aliqua eius parte remotiori, genuflexorium adſit, vbi pia aliqua Tabella, vel Imago Beatæ Virginis, aut Chriſti Domini pendeat, coram qua Sacerdos ad hoc ſacrificium deuotè ſe præparet, ac peccata ſua confiteatur, quod ſi neceſſitas celebrandi vrgeat, & Confeſſarij copia non adſit, de peccatis commiſſis cum propoſito confitendi priuſquam celebret, conteratur, ac ſtatim cum primum Confeſſarij copiam habuerit, cum effectu confiteatur. Adſit etiam ibi cartula cum orationibus, vnicuique indumento accommodatis.

Et quia plerumque, dum Sacerdotes ad hoc tantum ſacrificium peragendum ſe præparant, à colloquijs, vel indiſcretis clamoribus aliorum perturbantur, ſtatuimus, vt nullus ſiue Sacerdos, ſiue Laicus tempore celebrationis Miſſarum, niſi ex vrgenti neceſſitate, & tunc breuiter, & ſubmiſſa voce, ſi aliquid dicendum ſit, exceptis

ijs, qui ad celebrandum à Sacriſta vocati fuerint,& Clericis ad Miſſarum ſeruitium deſignatis, (qui omnes ibi ſilentium omnino ſeruare debent) ſacriſtiam ingrediātur: nec Sacriſtæ ſub quocunque prætextu, præter nominatos, alios admittant, ſub pæna,ipſis noſtro arbitrio infligenda,cæteris vero tranſgreſſoribus, trium librarū ceræ albę, arbitrio noſtro applicandę pro qualibet vice.

Celebraturi Sacerdotes, priuſquam ad Altare accedant, quæ ad tantum ſacrificium peragendum ſunt neceſſaria meditentur, ac veſtimenta omnia ita nitida, & munda deferre curent, vt celebrantibus deuotionem, ac cæteris præſentibus venerationem augeant: nec huiuſmodi Sacerdotalibus Veſtibus induti per Sacriſtiam deambulent vel colloquantur, ſub pæna vnius libræ ceræ albæ: ſed potius, quæ in Miſſali lecturi ſunt diligenter præuideant, omnia ſignando, ne inter celebrandum,adſtantibus imperiti videantur: ideoque,quæ alta voce dicenda ſunt, diſtinctè proferant, nec velocitatem, vel tarditatem affectent,& quæ ſecretè dicenda ſunt, ſecrete proferant. Denique eundo ad Altare, & ad ſacriſtiam reuertendo, demiſſis oculis,grauiter, & modeſtè incedant, atque in omnibus ſe ipſos præbeant exempla ſanctitatis.

Celebranti Sacerdoti Miniſter aſſiſtat, non niſi Clericus, talari veſte, ac ſuperpelliceo indutus, ſub pęna carceris per dies tres,qui quidem Clericus candelas accendat, & vrceolos, ac cætera, quæ ad miniſterium huius ſacrificij requiruntur, prius ſuis locis in Altari collocet, quā eo Sacerdos accedat, nec alicui liceat in Eccleſijs, vbi aſcripti ſunt Clerici,pro tali miniſterio laicum aſſumere, ſub pæna celebranti trium librarum cerę albæ laboratæ, noſtro arbitrio applicanda. Numerus vero Clericorum talis ſit, & ita per noſtrum Vicarium Generalem ſingulis Eccleſijs huius Ciuitatis, vbi diuina celebrantur, diſtribuatur, vt ſufficienter cuiuſcumque Eccleſiæ ſeruitio prouideatur.

Sæcu-

Sæculares alienæ Diœceſis Sacerdotes, ad Miſſas celebrãdas, in ſæcularium quomodocunque exemptis Eccleſijs non admittantur, niſi à Nobis, vel à noſtro Vicario generali in Ciuitate, per Diœceſim verò ab Archipręſbytero, vel Vicario foraneo loci, oſtenſis prius ſui ordinarij dimiſſorijs literis, licentiam obtinuerint: ſub pæna ſuſpenſionis tam à celebrantibus, quam à permittentibus ipſo facto incurrenda: quam ſuſpenſionem ſimiliter incurrant Regulares, ſi laicos Sacerdotes,ſupradictis nõ ſeruatis, in ipſorum Eccleſijs celebrantes admiſerint, ſicut ijdem ſæculares admittentes in ſuis Eccleſijs ad celebrandum exteros Regulares, abſque ſuorum Superiorum licentia per Nos, ac Vicarium noſtrum, vel per noſtrum Archipresbyterum, ſeu loci Vicarium foraneũ recognita,& approbata:quod de Sacerdoribus pænè incognitis intelligimus.

Et quia non decet Canonicos huius noſtræ [Cathedralis Eccleſiæ, ac Parrochos,proprias deſerere Eccleſias, & in aliarum Eccleſiarum ſeruitijs occupari; idcirco præcipimus eiſdem Canonicis Præbendatis, ac animarum Curatis In hac Ciuitate, ne amplius onera inſeruiendi alicui Eccleſiæ, quęcumque illa ſin ſuſcipere audeant,ſub pænis arbitrio noſtro reſeruatis, exceptis oneribus illis, ad quæ ex fundatione propriorum beneficiorum,quę in alijs Eccleſijs obtinent,ſunt obligati.

Sacerdotes omnes in huius ſacrificij celebratiône nouas cæremonias, ac ritus non inducant, ſed conſuetas tantum ab Eccleſia obſeruent, ita vt in omnibus vniformitas appareat. Quapropter Sacerdos ad Sacerdorium nouiſſimè euectus, ſine noſtra ſpeciali licentia celebrare non audeat,& niſi prius noſtri generalis Vicarij diligenti examine, ac iudicio tanti ſacrificij miſteria intelligat, eiuſque ceremonias diſtinctè ſciat; ideoque mandamus, vt aliqui probi ſacerdotes, ab eodem noſtro generali Vicario in Cathedrali, & ab Archipresbytero

loci

loci per Diœceſim eligantur,qui in huius ſacrific ij cære-monijs inſtructi ac vniformes, nouitios inſt.uant, vt in eiſdem vniformitas omnino ſeruetur.

In Miſſis celebrandis, tam in hac noſtra Cathedrali, quam in alijs Eccleſijs noſtræ Diœceſis, is ordo ſeruetur, vt ad Populi commoditatem,prima diluculo celebretur,reliquę deinceps ita ordinatè diſtribuantur, vt ad Eccleſiam accedentibus, vſque ad horam debitam Miſſæ non deſint. Præſertim verò in Eccleſia Sanctiſſimę Aununtiationis,(vbi tota Populi frequentia conuenire ſolet,ob diſtantiam Cathedralis Eccleſię à Ciuitate,)volumus, vt Sacriſtæ,ſemper vnam Miſſam ſeruent celebrandam per mediam horam ante prandium, ne dum in diebus feſtiuis, ſed etiam in alijs feriatis, ad maiorem Populi, & exterorum, ſi fortè ſuperueverint, commoditatem.In Eccleſia vero S.Sebaſtiani,ſemper ſummo mane vna Miſſa celebretur, ad maiorem itinerantium, & ruſticorum commodum : vt inde,huius ſacrificij indeuotis omnis excuſatio auferatur, ſi diebus feſtiuis, tantum Eccleſiæ præceptum non adimpleuerint.

Pro celebratione verò Miſſarum, (vt omne damnabile lucrum ab eccleſiaſticis remoueatur) declaramus nulli Sacerdoti, qui miſſas ſuſcepit celebrandas cum certa eleemoſina, amplius licere eaſdem Miſſas alteri celebrandas committere,retenta ſibi parte aliqua eiuſdem eleemoſinæ, ſed ſicut eam ſuſcepit,alteri tribuat, ſub pænis contentis in decretis Sac. Cõgr. Cõc.Tri. nuper pro Miſſarum celebratione æditis, quã etiam in omnibus alijs capitibus ibidem contentis,omnino obſeruari mandamus. Nullus Sacerdos in poſterum,pro minori ſtipendio celebret vnius caroleni, niſi forte ex tenuitate reddituum beneficij, vel pij legati, pro quo celebratur, Nobis conſtiterit, quod tale ſtipendium non patiatur. Onera verò perpetua Miſſarum,Capitula, ſeu Confraternitates,

vel

vel alia pia loca ſine noſtra ſpeciali facultate non accepꝰtent iuxta Bullam Sanctiſſimi Domini Noſtri Vrbani Papæ VIII. nuper editam, nec pro minori ſtipendio duorum carolenorum pro qualibet Miſſa.

Denique Sacerdotes omnes, quantum in Domino poſſumus, rogamus, vt oneribus,eorum beneficijs,ſeu pijs legatis impoſitis,ſatisfacere omnino curent: & ſi fortè piorum legatorum redditus ab eorundem oneribus excedũtur; quam primum adnotata onera, redditusque dictorum legatorum Nobis afferant, vt ad ſedem Apoſtolicã pro eorum moderatione recurramus: interim tamen pro animabus fundatorum, vel teſtatorum celebrare non prætermittant.

De extrema Vnctione.

QVamuis vniuerſa vita hominis,militia ſit ſuper terram contra humani generis hoſtem: in vltimo tamen vitę noſtræ diſcrimine, nobis maior ſupereſt pugna; cum tunc omnia nequitiæ ſuæ tela in nos contorquere conetur, ideoque ad ei reſiſtendum validius, extremæ Vnctionis Sacramentum Redemptor noſter inſtituit, vt nobis in vltima illa colluctatione firmiſſimum, ac robuſtiſſimum aduerſum nequiſſimi hoſtis conatus non deeſſet præſidium;cum nedum in ſalutem Animæ, verum etiam in afflicti corporis leuamen exhibeatur; Quapropter ſacrum Infirmorum oleum, quod ſolum huius Sacramenti materia eſt, quo perunguntur ægroti, in aliquo decenti vaſe argenteo, vel ſtanneo ſeruandum eſt, atque in loco bene clauſo cuſtodiendum:cum vero ad infirmos defertur, in aliqua burſa ex corio, vel ſerico includatur, quæ cordulis accommodata pendens à collo,per Sacerdotem tutò poſſit aſportari.

Adminiſtraturus ergo hoc Sacramentum, ſiue Parrochus, ſiue alius approbatus Sacerdos ſuperpelliceo, & ſtola

E indutus

indutus ſit, ac lumine præcedente ad ægroti domum accedat, vbi priusquam illum extrema vnctione liniat, ſacramenti huius præſtantiam, ac vtilitatem illi breuiter explicet, eumque ad illud deuotè ſuſcipiendum, & ad peccata toto ſuæ vitæ decurſu commiſſa deteſtanda hortetur. Curet autem, vt ægroto dum integris eſt ſenſibus, hoc Sacramentum adminiſtretur, vt infirmus vberiorem gratiam, & ſolidiores fructus ex eo percipere valeat, quod ſi eius tarditate, vel morbi qualitate, aut aliquo improuiſo caſu, ægrum ſenſu, & vſu rationis carentem inueniat, eum nihilominus, ſi adhuc viuat, omnino perungere debet; ſi vero inter vngendum viuere deſinat ab vlteriori vnctione abſtineat.

Hoc autem Sacramentum, adultis in extremo conſtitutis, ſenio confectis etiam, ſi ęgroti non ſint, eadem die moritnris, peſte laborantibus (ſi mortis tamen periculum immineat) ac vulneratis ad mortem (non tamen ſupplicio damnatis) exhibendum eſt: & quia ipſum, ſicut & cætera gratiam confert, caueant adminiſtrantes, ne aliquem Sacra vnctione perungãt, excepto caſu neceſſitatis, niſi prius confeſſum, ac ſacra communione refectum ſemel tamen in vna infirmitate, & non pluries. Cætera verò, quæ ad hanc ſacram vnctionem ſpectant iuxta præſcriptum Ritualis Romani exactè obſeruentur.

Similiter Parròchus adminiſtrato hoc Sacramento ipſi infirmo, nos certiorem faciat de illius ſtatu, vt benedictionem Pontificiam (quam ex ſpeciali benignitate Sanctiſſimi Domini Noſtri Vrbani Papæ Octaui pro conſtitutis in extremis, & angonizantibus impetrauimus) illi antequam ſenſibus priuetur charitatiuè impartiamur.

De Sacramento Ordinis.

SAcramentum ordinis in Eccleſia Dei neceſſarium, vtpotè fundamentũ, ſine quo cætera Sacramenta nequeunt admi-

adminiſtrari, ſumma diligentia Chriſtifidelibus eſt exhibendum. Qua propter huic Sacramento initiandi omni virtute, ac ſanctitate prælucere debent, ideoque in eius collatione, nedum quæ à Sacr. Concil. Tridentin. ſancita ſunt, ad vnguem in noſtra Diœceſi obſeruar mandamus, verumetiam nonnulla alia ſtatuenda eſſe decreuimus.

De promouendis ad primam Tonſuram, ac ad reliquos Ordines Minorès, & Maiores.

CVrent parentes, filios huic Sacræ Militiæ adſcribendos meliores, & aptiores Dei miniſterio eligere, & quorum indoles, ſpem virtutum, ac Clericalis diſciplinæ præſeferat: nec eos offerant rei familiaris augendæ cauſa, non quæſtus auiditate, non familiæ ſuæ ſuſtentandæ ſtudio, nec honorum cupiditate, vel ambitione, nec denique rei alterius cuiuſuis humano affectu, ſed ea ſolum cauſa, vt Deo, eiuſque Eccleſiæ inſeruiant.

Initiandi ergo hac Prima Tonſura, hæc teſtimonia afferant. In primis ſe legitimo Matrimonio natos, ſeptemnium expleuiſſe, ſacro Chriſmate confirmatos, in Eccleſia frequentes, honeſtè ſemper vixiſſe, ac doctrinam Chriſtianam frequentaſſe, nullum commiſiſſe delictum, neq; ære alieno grauatum eſſe. Inſuper ſciant benè legere, ac ſcribere: denique in eorum ordinatione ad vnguem ſeruetur Sacræ Congreg. decretum nuper de Sanctiſſimi Domini Noſtri mandato circa collationem primæ Tonſuræ editum.

Promouendi verò ad minores ordines, præter teſtimonia vitæ, ac morum, frequentationis Sacramentorum ac eorum aſſidui in Eccleſia miniſterij, ſciant etiam officium Beatæ Virginis recitare, latinam linguam, ac Eccleſiaſticum cantum calleant: quod ſi abſque prędictis conditionibus accedant, ab ordinatione prorſus reijciantur.

Ad Subdiaconatus verò cæteroſque Maiores ordines, ſiue Beneficij, ſiue Patrimonij titulo promouendi, annuos redditus habeant ducatorum vigintiquinque, quæ nec ſimulata ſint, vel ficta, ſed propria, vera, ac legitima: Idcirco volumus, vt ordinandi nomen, ac parentum, ac bona dicti Patrimonij, vel Beneficij, tribus diebus feſtiuis ante ordinationem, intra Miſſarum ſolemnia, Populo per Parrochos, ſeu Archipræsbyteros proponantur; Moneanturque adſtantes, teneri eós ſub mortalis peccati pæna, reuelare deputato per Nos, An vera ſint quæ petuntur: quod ſi quis ordinandus in valore patrimonij, vel Beneficij aſſignando, (de quo iurare debet) mendacij conuincatur, vltra ſuſpenſionem, & pænas alias à Sacr. Canon. conſtitutas, noſtro etiam arbitrio grauiſſimè punietur. In donationibus autem, quæ fiunt Clericis, vel intuitu ordinis ſacri, vel Clericatus, bona mobilia, vel animalia, non admittantur, niſi ex hæreditate Clericis prouenerint.

Inſuper, qui ſupradictis ordinibus initiari volunt, per menſem, vel aliud ſufficiens temporis ſpatium, ante futuram ordinationem, coram nobis compareant, vt diligenter inquiri prius poſſit de eorum vita, ac moribus, cæteriſq; requiſitis. In examine verò non admittantur, niſi horas Canonicas ordinare, ac recitare valeant, Concilium Tridentinum, homilias, Sanctorumque vitas explicare, ac Examinatoribus noſtris latinè reſpondere ſciant: ac niſi in cantu Chorali proportionabiliter ſint inſtructi, Vbi verò adſunt Congregationes, deferant ordinandi, etiam ad ordines Minores, teſtimonium Rectoris eiuſdē de frequentia illius, & Sacramentorum. Regulares verò noſtræ Diœceſis, niſi legitima attulerint teſtimonia ſuorum ſuperiorum circa ętatem, mores, cęteraque requiſita, non admittantur. Si verò in aliena Diœceſi commorentur, pręter ſupradicta teſtimonia, iidem etiam afferant, Pręſulem ſuę Diœceſis nō habiturum proximas ordinationes.

De Sacramento Matrimonij .

MAtrimonium, quod in Chriſto Sponſo, & in Eccleſia Magnum eſt Sacramentum , vt inter Chriſtifideles, ea qua decet ſanctitate , ac reuerentia contrahatur, quæ Sacroſancta Trid. Synod. in eius celebratione pręſcripſit obſeruari omninò mandamus . Quapropter Archipræsbyteri vel Curati, Populum ſæpè moneant, ne ſpōſi ad tanti Sacramenti celebrationē accedant, niſi prius confeſſi , ſanctaque communione refecti , nec vt tantum libidini vacent,vel in filiorum procreatione,& vitæ coniugalis delectatione,temporalia ſolum commoda meditentur , ac pro fine habeant ; ſed ſecum animo cogitent vberrimos gratiæ fructus , qui in hoc Sacramento conferuntur ; Deumque humiliter exorent , vt cum illis ſibi pacem etiam,ac mutuum amorem conſeruare dignetur, eamque filiorum ſobolem concedere , quæ diuinæ placuerit voluntati .

Similiter doceant,Matrimonia contracta non ſeruata forma Sac. Conc. Trid.,præſertim clandeſtina,nulla omnino eſſe , & inualida, nempè non per ſolam carnalem copulam, ſed per mutuum conſenſum coram Parrocho,vel alio Sacerdote, de ipſius Parrochi , vel Ordinarij licentia, & duobus , vel tribus teſtibus pręſtitum, perfici matrimonia , ac validari . Et licet monitiones ad Sacramenti formam non ſint neceſſariæ ſimpliciter,nullus tamen Parrochus , vel Sacerdos, aliquos coniungere audeat in Matrimonium, niſi factis prius monitionibus in tribus diebus feſtiuis , in vtriuſque ſponſi Parrochia , (ſi in eadem non cohabitent) abſque noſtra ſpeciali licentia , quod ſi aliter fecerint, præter inobedientiæ culpam, grauiſſimè etiam à Nobis punientur.

Quod ſi poſt huiuſmodi monitiones, legitimum innotuerit impedimentum, à Matrimonij celebratione omnino ab-

ſtineant, ſi verò dubium ſit, Epiſcopus conſulatur, vt ſi opus fuerit, à Sede Apoſtolica quamprimum diſpenſatio obtineatur, ſin minus, ipſum Matrimonium tutius celebretur. Qui verò ſcienter, & intra gradus prohibitos Matrimonium contraxerint, pręter alias iuris pænas, etiam excommunicatione ferietur.

Ignoti ſimiliter, & Aduenæ, ac per diuerſa loca vagantes, ad contrahenda Matrimonia non admittantur, niſi prius eos liberos eſſe, & alterius Matrimonij vinculo ſolutos plenè conſtiterit, & ſui ordinarij literis, denunciationes in eorum propria Parrochia publicatas fuiſſe, nec aliud impedimentum adeſſe oſtenderint. Quæ omnia, antequã fiant monitiones, teneantur Parrochi Nobis notificare. Viduæ autem, ad ſecunda vota nec etiam admittantur, niſi prius certis teſtimonijs de obitu alterius Coniugis Nobis, vel noſtro Vicario generali innotuerit: nec audiantur illi, qui longam abſentiam, vel aliquas veriſimiles coniecturas allegant, vt Matrimonia contrahant, ſed penitus reijciantur.

Et quia experientia comprobauimus, matrimoniũ, quod ſacroſanctum eſt, ac ſanctè tractari debet, aliquãdo non à diuina gratia, vt decet, ſed à grauiſſimis peccatis initiũ ſumere (cum Coniuges. vt in plurimum, nedum ante Sacerdotalem benedictionem, ſed etiam ante Matrimonij celebrationem) interſe commiſceri ſoleant; Ideo grauiſſimo huic malo (à quo ſtupra, fornicationes, & quandocumque etiam inceſtus oriontur) quantum in Domino poſſumus occurrere cupientes, præſenti decreto ſtatuimus, ne Parrochi, vel Sacerdotes, ſine noſtra ſpeciali licentia (gratis concedenda) alibi quam in ipſis Eccleſijs Parrochialibus, nec alio tempore, quam de mane, Miſſam celebrando, Sponſos in Matrimonium coniungere audeant, vt vno, & eodem tempore, & Sacramentũ celebretur. & ſpõſi benedictionẽ Sacerdotalẽ accipiant: quod ſi prius ipſos Coniuges inter ſe commi-

ſceri

ſceri; comperiatur, pænam incurrant Sponſi quinquaginta librarum ceræ albæ laboratæ, à Nobis noſtro arbitrio applicandarum, vel ſtandi ante fores Eccleſiæ, dum Miſſa maior celebratur tribus diebus feſtiuis cum cereo accenſo in manibus, itaut ab omnibus conſpiciantur: quod ſi à Nobis ſpeciali gratia alicui facultas celebrandi Matrimonium, vel in proprijs domibus, vel in aliqua alia Eccleſia concedatur, volumus, vt Cōiuges, infra quindecim dierum ſpatium in Eccleſia maiori, ſiue Parrochiali, Sacerdotalem benedictionem accipiant.

Vt ergo Matrimonij libertas nullo modo violetur, inculcēt ſæpius Parrochi Populo id, quod ſacra Triden. Synod. decreuit, nempè parentes, vel conſanguineos cæteroſque ſuperiores, vel Dominos temporales, ſi coniuges ad contrahenda matrimonia minis, ac concuſſionibus directè, vel indirectè, quaſi nolentes inducant, excommunicationis pænam incurrere; cum non ex parentum, aut Conſanguineorum placito, vel ſuperiorum auctoritate, ſed ex contrahentium libera voluntate, tota huius Sacramenti vis pendeat.

Denique temporibus à iure prohibitis, hoc eſt ab Aduentu Domini, vſque ad Epiphaniam, & à feria Quarta Cinerum, vſque ad Octauam Paſchæ incluſiuè, nuptias fieri prohibemus, niſi de noſtra licentia ſpeciali, & tunc omnibus remotis ſolemnitatibus, ſi neceſſitas vrgeat.

Librum habeant Parrochi, in quo nomina, & cognomina contrahentium, ac teſtium adnotentur, dies, menſis, & annus, iuxta formam inferius apponendam, deſcribantur.

De Sacroſanctis Eccleſijs, earumq. Immunitate.

QVoniam Eccleſiā, quæ Domus Dei eſt, ſanctitudo decet, omnia in ea munda, nitida, & ſancta eſſe oportet,

tet, ne vbi diuinam gratiam, Sanctorumque interceſſionem inuocare debemus, irreuerenter commorando, Deum ad iram prouocemus. Qua propter ab Eccleſijs prophana omnia arceri mandamus: & quia peſſimus irrepſit abuſus, vt laici præſertim in ea Conſilia, ſeu publica parlamenta circulos, deambulationes, ac colloquia aliquando, etiam cum ſuſpectis fęminis, non ſine maxima indecentia habere conſueuerint; idcirco hæc omnia in poſterum fieri prohibemus, ſicut etiam commeſſationes, & compotationes, choreas, ſaltationes: & alia huiuſmodi.

Nulla Eccleſia abſque noſtra licentia diruatur, & ſi quando dirui contingat, vniuerſam illius ædificij materiam ad vſum alterius Eccleſiæ ædificandæ, ſi fieri poteſt, applicari mandamus: ne quę ſemel Deo dicata fuerunt in prophanum vſum cõuertantur. Sicut nec nouæ Eccleſiæ ſine noſtra facultate ædificentur. In oratorijs autem, nemo ſine noſtra ſpeciali conceſſione, velut in ſacellis intra priuatos parietes, ſine Apoſtolicæ Sedis licentia, Miſſas celebrare, vel celebrari facere præſumat.

Eccleſiæ omnes, diuinis officijs peractis, claudantur exceptis Maioribus, & inſignibus Eccleſijs, quas tamen ante ſolis occaſum claudi, & poſt ſolis ortum aperiri mandamus. Altaria verò, in quibus diuina ſacrificia celebrantur, eadem munditia, ac decentia à Sacriſtis conſeruentur, & ſi quæ in præterita noſtra Viſitatione pro eorum neceſſitate, facienda mandauimus, ab illorum Patronis infra menſem ab horum publicatione, obſeruari decernimus, pœnas inobedientibus in eadem Viſitatione ſtatutis inuiolabiliter exequuturi.

Denique ſi ſuper Eccleſiarum immunitate difficultas aliquando oriatur, Bullã fæl. record. Gregorij XIIII. ſuper hoc æditam omnino obſeruari mandamus.

GRE-

GREGORIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI.

Ad perpetuam rei Memoriam.

CVM aliàs, nonnulli Prædeceſſores noſtri, & præſertim fęl. rec. Sixtus Papa Quintus, nec non Pius etiam Quintus, Sancto zelo ducti, diuerſas facultates, & indulta extrahendi, etiam in caſibus quibuſdam à iure non permiſſis, ex Eccleſijs criminoſos, & delinquentes, compluribus ſęcularibus Principibus, eorumque Curijs, & Magiſtratibus, ſub varijs modis, & formis, conceſſerint; prout in illis plenius continetur. Experientia poſtmodũ docuit, tum ob diuerſitatem, & differentiam huiuſmodi indultorum, tum quia plerique eorundem Principum Miniſtri, ex hoc ipſo illa diuerſimode, etiam latius quã par erat, & ad ſuum libitum interpretandi, occaſionem arripuerunt, illiſque abuti cœperunt; ſubortam eſſe non mediocrem in aliquibus locis, libertatis, & immunitatis Eccleſiaſticæ perturbationem, & confuſionem; alibi verò ne ipſos quidem laicos Indultis huiuſmodi vti voluiſſe, aut potuiſſe, quod Populis, inueterata erga Eccleſias reuerentia, deuotis, & aſſuetis, ſcandali potius, quam quietis occaſionem præberent. Illud etiam abſurdum ſæpenumero ſecutum eſt, vt infimæ interdum conditionis laici, non modo iuris, ſed etiam literarum penitus ignari, & imperiti, dum, quaſi poteſtates, aut miniſtri Curiæ ſęcularis in aliquo Caſtro, aut Oppidulo iũriſdictionem exercebant, facultatum, & indultorum

huiuſmodi limites longè exceſſerint, eaque ſuo arbitratu in ſenſus minus rectos, & ab intentione concedentis, omnino alienos, detorſerint, & illorum prætextu, quicquid ſibi in mentem venit attentare præſumpſerint; in graue iuriſdictionis, & immunitatis Eccleſiaſticæ præiudicium, locorum, & perſonarum diuino cultui dicatarũ contemptum, ipſius diuinæ Maieſtatis offenſam, & ſcandalum plurimorum. Quare pro commiſſo nobis à Domino Paſtoralis officij munere, prædictis abſurdis, & ſcandalis obuiare, ac differentias huiuſmodi ad vniformem regulam reducere, omnemque dubitandi, ac perperam interpretandi occaſionem, dilucida declaratione, ſubmouere, abuſus tollere, & ne Eccleſiaſtica iura plane conculcentur, & negligantur, oportunè prouidere decreuimus, prout etiam dictus Sixtus Prædeceſſor noſter iiſdẽ de cauſis motus ſtatuere decreuerat, licet morte præuentus hoc adimplere nequiuerit: ita tamen, vt quando præſens temporum calamitas, & nimia, quæ iam inualuit peruerſorum hominum malitia id expoſcit, aliquid, etiam ad terrorem delinquentium, & ad coercenda illorum facinora, vltra id, quod priſca illa maiorum noſtrorum diſciplina, & vetus ſacrorum Canonum norma præſcripſerat in quibuſdam caſibus, congrua moderatione adhibita, permittamus. Hac itaque noſtra perpetuò valitura conſtitutione, omnia & quæcumque priuilegia, indulta, & gratias tam per prædictum Sixtum, ac Pium Quintum, quam alios quoſcumque noſtros Prædeceſſores, aut noſmetipſos, Sedemque Apoſtolicam eiuſuè Legatos, ſuper abducendis, vel extrahendis ab Eccleſijs, Monaſterijs, Sacellis, domibus regularibus, & ſæcularibus, lociſuè ſacris, aut Religioſis, aliaſque in caſibus à iure permiſſis, hominibus certorum, tunc expreſſorum, vel non expreſſorum criminum, reis, aut fraudolentis decoctoribus, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono, pace, & quiete publica, & ex cauſis vrgentiſſi-

tiſſimis, ac neceſſarijs, & ęquipollentibus caſibus in iure expreſſis, atque ex paritate, identitate, aut maioritate rationis extenſis, perpetuò, vel ad certum nondũ elapſum tempus, ſeu ad vitam alicuius Principis, aut beneplacitum, ſeu alias quomodolibet conceſſa, etiam iteratis, aut multiplicatis vicibus, approbata, & innouata, ac vſu recepta, literaſque Apoſtolicas ſub plumbo, aut in forma Breuis, ſeu alias quomodocumque deſuper cõfectas, quarũ tenores hic haberi volumus pro expreſſis, ac de verbo ad verbũ inſertis, ſublata penitus omni differentia, Ita ad vnã tantum formã reducimus, & moderamur, vt laicis, ad Eccleſias, locaque ſacra, & religioſa prædicta, confugientibus ſi fuerint publici latrones, viarumque graſſatores, qui itinera frequentata, vel publicas ſtratas obſident, ac viatores ex inſidijs aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quiuè homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſijs, earũuè Cemeterijs committere non verentur, aut qui proditorie proximum ſuum occiderint, aut Aſſaſſini, vel Hæreſis, aut læſæ Maieſtatis in perſonam ipſiuſmet Principis rei, immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragetur. Sed vniuerſis, & ſingulis Venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiarum, & Monaſteriorum Prælatis, tam ſæcularibus, quàm cuiuſuis ordinis regularibus, diſtrictè præcipiendo mandamus, & præcipimus, vt laicos in caſibus prædictis delinquentes ad eorum Eccleſias, Monaſteria, domos, & alia loca ſupradicta ſacra, ſeu Religioſa reſpectiuè confugientes, & in eis ſe recipientes atque morantes, qui prædicta delicta, eorumuè aliquod, iudicio ſuo commiſiſſe videbuntur, quando à Curia ſæculari fuerint requiſiti, & quilibet eorum fuerit requiſitus, Miniſtris, & Officialibus Curiæ ſæcularis abſque irregularitatis nota, aut alicuius cenſuræ Eccleſiaſticæ incurſu tradi, & conſignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & fa-

ciat. Ne autem Curia ſæcularis prędicta Miniſtri facultate illos per ſe, & propria auctoritate extrahendi, & abducendi ſibi olim, vt præfertur attributa, & per præſentes reuocata, abutantur. Volumus, dictaque auctoritate decernimus, & declaramus, vt Curia ſæcularis, eiuſq; Iudices, & Officiales, ab Eccleſijs, Monaſterijs, locisque ſacris prædictis, laicum aliquem, vt præfertur, delinquētem, in nullo ex caſibus ſupradictis ſine expreſſa licentia Epiſcopi, vel eius officialis, & cum interuentu perſonæ Eccleſiaſticæ ab eo auctoritatem habentis (ad quos ſolos, & non alios, Epiſcopis inferiores, etiam ſi aliàs ordinarij ſint, aut nullius diœceſis, aut Conſeruatores ab hac Sede ſpecialiter, vel generaliter deputati) prædictam licentiam dandi, facultas pertineat; occurrente autem caſu in loco exempto, & nullius diœceſis, tunc ab Epiſcopum viciniorem deuoluatur hæc cognitio, & non ad alios; capere, extrahere, aut incarcerare non poſſint, niſi eo caſu, quo ipſe Epiſcopus, & dictæ perſonæ Eccleſiaſticæ requiſitæ, illos in delictis ſuperius expreſſis culpabiles tradere, aut capturæ, & carcerationi interuenire, & aſſiſtere recuſauerint: tuncque reuerentiæ Eccleſiæ, & locis ſacris debitæ memores, prædictos delinquentes minori, quo id fieri poterit cum ſcandalo, & tumultu, extrahere curent. Quodque delinquentes laici prædicti poſtquam, vt præfertur ab Eccleſijs, locisuè ſacris extracti, & capti fuerint, ad carceres Curiæ Eccleſiaſticæ reponi, & inibi ſub tuto, & firmo carcere, ac oportuna cuſtodia data illis, ſi opus fuerit, per Curiam ſæcularem, detineri debeant, nec inde extrahi, Curiæque ſæculari prædictæ conſignari, nec tradi poſſint, niſi cognito prius per Epiſcopum, ſeu ab eo deputatum, an ipſi verè crimina ſuperius expreſſa commiſerint, tuncque demum de mandato Epiſcopi per Iudicem Eccleſiaſticum Curiæ ſęculari, quacunque appellatione poſtpoſita, conſignētur. De crimne verò hæreſis; cognitio, ad forum Eccleſiaſticum

cum tota pertineat, neque in ea Curia ſæcularis ſe quoquomodo intromittat: Sicuti etiam prohibemus, ne cõtra Eccleſiaſticas perſonas, ſæculares, aut cuiuſuis Ordinis, vel Militiæ etiam S. Ioannis Hieroſolymitani regulares, quoquomodo etiam vigore prædictorum priuilegiorum, indultorum, aut conceſſionum (quæ omnia ad terminos iuris per præſentes reducimus) procedant, aut ſe intromittant, illaſuè ab Eccleſijs, Monaſterijs, Domibus, locisque ſacris, aut religioſis, etiam in caſibus in hac conſtitutione expreſſis, extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoſcere de criminibus ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus, aliàs, quam de iure, & per priuilegia eiſdem Ordinibus, aut Militijs conceſſa permittitur, quomodolibet præſumant. Quod ſi quis quacumque dignitate, & auctoritate præditus, præmiſſorum, aut alio quouis prætextu, quicquam præter, aut contra huius noſtræ conſtitutionis tenorem attentare præſumpſerit, declaramus eum ipſo facto, cenſuras, & pænas eaſdẽ incurrere, quæ, contra libertatis, iuris, & immunitatis Eccleſiaſticæ, violatores per ſacros Canones, & Conciliorum generalium, noſtrorumque Prædeceſſorum Cõſtitutiones ſunt promulgatæ. Sicque per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, in quauis cauſa, & inſtantia, iudicari, & definiri debere, necnon irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his, per quoſcumque quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, tam Sixti, & Pij V. quàm aliorum quorumcumque Prædeceſſorum noſtrorum literis Apoſtolicis, priuilegijs, indultis, & facultatibus, quibuſuis perſonis, etiam Imperiali, Regali, Ducali, aut alia quauis dignitate, & auctoritate fulgentibus, aut Republicis, Dominijs, Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, Terris, & lo-

cis, eorumuè Curijs, Parlamentis, Senatibus, Conſilijs, Communitatibus, Vniuerſitatibus, Collegijs, aut Præſidentibus, Proregibus, Gubernatoribus, Locatenentibus, Vicarijs, Poteſtatibus, alijſque Magiſtratibus, Officialibus, Miniſtris, aut Conſiliarijs, ex prædictis, vel alijs, etiam grauioribus, & vrgentioribus cauſis; tam illorum intuitu, & contemplatione, ſiue ad eorum præces, & inſtantiam, quam etiam Motuproprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac per modum ſtatuti, & legis perpetuæ, etiam in vim contractus, & Fratrum noſtrorum conſilio, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & cum quibuſuis præſeruatiuis, reſtitutiuis, mentis atteſtatiuis, derogatoriarum derogatorijs, alijſque validiſſimis, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus; & alijs decretis, etiamſi inibi caueatur expreſse, quod illis, niſi ſub certis modis, & formis, & niſi de expreſſo eorum conſenſu, ad quorum fauorem conceſſæ fuerint, derogari poſſit, & aliter factæ derogationes nullius ſint roboris, vel momenti, & aliàs quomodolibet conceſſis, etiam ſæpius approbatis, & innouatis. Quæ omnia, & ſingula, ac illorum tenores pro expreſſis habentes, quatenus præmiſſis in aliquo aduerſentur, aut plures, quam ſuperius expreſſos caſus contineant, auctoritate, & tenore præmiſſis, omnino, ac perpetuò tollimus, & abrogamus, ac ad terminos præſentis Conſtitutionis, quoad ſuperius deſcripta dumtaxat, reducimus: Et nolumus cuiquam de cætero ſuffragari, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali, per quæ præſentibus non expreſſa, vel ad verbum non inſerta effectus earum quomodolibet valeat impediri. Vt autem præſentes literæ ad omnium notitiam facilius deducantur, mandamus illas in Valuis S. Ioan. Lateraneñ, & Ptincipis Apoſtolorum Baſilicarum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ de more affigi, et publicari, earum etiam exemplis inhibi affixis, et demiſ-

ſis,

ſis: ac poſt publicationem huiuſmodi, volumus, et decernimus, vt omnes, & ſingulos, quos concernunt, & concernent in futurum, perinde arctent, & afficiant, ac ſi eorum cuilibet perſonaliter intimatæ fuiſſent: earundē verò præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, Notarij publici manu ſubſcriptis, eandem fidem in iudicio, & extra illud vbique gentium, et locorum haberi volumus, quæ eiſdē originalibus litteris haberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ moderationis, præcepti, mandatorum, decretorum, reductionum, declarationum, prohibitionis, ſublationis, abrogationis, et voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire: ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo nonageſimo primo, Nono Kal. Iunij, Pontificatus Noſtri Anno Primo.

OMnes Chriſtifideles in Eccleſiæ ingreſſu, ea qua decet reuerentia caput detegant, Aqua benedicta ſe aſpergant, deinde ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ſupplices vtroque genu flexo venerentur: et ſi in eadem Eccleſia eos commorari contingat, caueant ne ſtando, eidem Sacramento, vel Altari maiori terga vertant, ſed ſemper, vt decet Dei Eccleſiam, quæ Domus orationis vocatur, ad orandum tantum ingrediantur.

De Choro, ac Diuinorum Officiorum recitatione.

CVm in Choro perpetuum ſeruari debeat ſilentium, eo quod locus ſit, orationibus, ac diuinis laudibus deſignatus, cogitet vnuſquiſque ad illum acceſſurus, vt prius

iuxta melliflui Doctoris conſuetudinem, cogitationes, ac cæteræ, ſeculi Curę illuc ſecum non ingrediantur, ſed internos cordis affectus, ac mentis ſuæ oculos ſemper intentos ad Dominum habeat, vt miſereatur ipſius, ne de eo Dominus iuſtè conqueri poſſit. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. Ac ſimul meminerit maledici eſſe a Domino, qui opus Dei negligenter facit. Ideoque quę ore profert, hymnos, ęt pſalmos canendo, corde reuoluat. Et quia interior animi deuotio, externis etiam actibus eſt ſignificanda; Ideò in diuinorum officiorum recitatione hæc obſeruanda præcipimus.

In primis, ne amplius difficultas oriatur circa horam inchoandi Matutinum; Volumus, iuxta antiquam diſpoſitionem Eminentiſſimi q. Domini Cardinalis de Aquino huius Ciuitatis Epiſcopi, quam Nos etiam in præterita Viſitatione approbauimus, vt quolibet Anni tempore poſt mediam horam ab ortu Solis inchoetur, vnde Sacriſta Campanæ ſignum ita diſponat, vt omnes eo tempore ad Eccleſiam conuenire poſſint. Quo ſigno audito, qui ad diuinum officium recitandum tenentur, ad Eccleſiam accedant, ibique breui facta oratione Sacriſtiam ingreſſi, depoſito in arcula pallio, ac pileo, biretum aſſumant, ac ſuperpelliceum, quibus induti, ea qua decet grauitate, ac deuotione, vbi omnes fuerint præparati, è Sacriſtia exeant, et bini incedentes incipiendo à iunioribus, pulſato tintinnabulo ad Chorum pergant, vbi genuflexi omnes aliquantulum orent, deinde vnuſquiſque in ſuo loco ſe collocet, ac dato per maiorem ſigno, diuinum officium inchoent, nec inde diſcedant, niſi vocati fuerint, vel ex alia vrgenti cauſa ab illo, qui maior eſt in Choro approbanda. Quod ſi aliquis poſt inchoatum officium ſuperuenerit, induat ſe ſtatim ſuperpelliceo, et debita modeſtia Chorum ingreſſus, genuflectat vtroque genu, ac breui facta oratione ſurgat, et in

eodem

eodem loco,capite inclinato,hinc inde,omnes de Choro ſalutet, qui ſtatim detecto capite eidem ſalutationem reſtituant, quo facto locum ſuum adeat, ac cum cæteris officium proſequatur. Nobis verò præſentibus in Choro, nullus in poſterum audeat diſcedere, niſi ad ſedem Pontificalem accedat, & à Nobis licentiam obtineat, ſub pæna vnius tareni pro qualibet vice tranſgreſſoribus.

Et quia ob nimiam rerum temporalium ſollicitudinem, & vt citius ab Eccleſiæ ſeruitio ſe expediant Canonici, qui diuinorum officiorum celebrationi intereſſe debent, eo ſimul tempore, relicta Miſſa maiori, vel horis Canonicis, chorum egreſſi ad celebranda Miſſarum onera pergunt, quo fit vt diuinus cultus maximè diminuatur, & quandoque chorus vacuus fere relinquatur: Idcirco mandamus, vt in poſterum Canonici in propria hebdomada, Miſſarum onera, non niſi ante, vel poſt horas Canonicas adimplere curent, relicta Miſſarum celebratione pro eo tempore alijs Canonicis, ac Sacerdotibus, qui proprijs oneribus ſatisfacere, & non ad chori ſequelam tenentur, ſub pæna tranſgreſſoribus, toties quoties, vnius tareni. Quòd ſi ex aliqua vrgenti cauſa, ab eo qui choro præeſt approbanda, quis celebrare eo tempore cogatur, volumus tamen puncto illius horæ, & abſentiæ punctari debere, cum æquum non ſit eodem tempore, ſimul duo lucra facere.

Similiter omnes in Choro, non diſperſi, ſed coniunctim ſedeant iuxta ſuarum promotionum ordinem, ita tamen, vt ſi abſente digniori, quis eius locum occupauerit ipſo adueniente, locum cedat, nec propterea per Chorum vagetur, ſub pæna puncti illius horę. Nullus ibi priuatum officium recitet, ſed cum alijs teneatur canere, alias quotidianis diſtributionibus non gaudeat, cum non ratione præſentiæ, ſed ratione cantus, huiuſmodi diſtributiones lucrari debeat. Similiter nullus ibi ſcripturas, literas, aut alios libros legat præter Breuiarium, quo ta-

men non vtatur cum lectiones dicuntur, vel antiphonæ, ac pſalmorum verſiculi, reſonante organo à Clericis deputatis recitentur.

Studeant ergo omnes, qui diuino interſunt officio concorditer pſallere, caput inclinare, ſimul ſurgere, ſedere, ac genuflectere quandocumque occaſio ſe præbuerit. Vocē verò, ne diſſonantiam pariat, ad aliorum concentum accommodent. Et quia pſalmodiæ ſuauitas non parum deuotionis adſtantibus ſuggerit, cum clarè, & diſtinctè pſallitur; idcirco concordiam in pſallendo ſummopere curent, ita tamen, vt in medio verſiculi ſemper breuis aliqua morula ad maiorem Populi ædificationem intercedat, vltimam verò verſiculi ſyllabam moroſè non protrahant, & ne in canendo, vt plerumque, non ſine adſtantis Populi ſcandalo accidere ſolet, errores committantur volumus, vt quæ canenda ſunt ab alijs ſeparatim, diligenter præuideantur, & ad ſequentias præſertim, quatuor tantum eligantur ex ijs, qui Choro interſunt, magiſque in chorali cantu periti, qui alternatim verſiculos canant. In lectionibus vero, lamentationibus, ac prophecijs, vniformitas Romani cantus iuxta præſcriptum Ritualis, omnino ſeruetur. Quod ſi ſecus factum fuerit, tranſgreſſor arbitrio noſtro grauiſſimè punietur. Si quis verò in Choro errorem aliquem grauem, vel exceſſum commiſerit, tunc qui maior eſt in Choro, in libro punctorum extraordinariorum, pæna vnius caroleni, vel tareni iuxta grauitatem exceſſus illum punctare faciat. Omnes punctationes ſingulis menſibus per punctatorem Nobis oſtendantur, vel noſtro Procuratori fiſcali, vt illius exequutionem, & applicationem iuxta noſtrum beneplacitum diſponamus.

In Nocte autē Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti, matutinum ita inchoetur, vt tempus celebrandi primam Miſſam circa mediam noctem incidat, & non prius; ipſum verò officium eiuſdem noctis, totum decantetur, ſicut

cut etiam matutinum ferię V. VI. & Sabbathi in Hebdomada maiori, ſimiliter in Paſchate Reſurrectionis Chriſti Domini, Pentecoſtes, Aſſumptionis Beatæ Virginis, Omnium Sanctorum, & in Commemoratione omnium Defunctorum, totum officium; in cæteris verò maioribus ſolemnitatibus, laudes ſolum decantari mandamus.

Et quia huius noſtræ Cathedralis Eccleſiæ ſeruitium, in tres hebdomadas diſtributum inuenimus; in quarum qualibet punctator aſſiſtere debet; idcirco volumus, vt huiuſmodi punctatores, ſtatim poſt dicti muneris ſuſceptionem, in manibus noſtris, vel noſtri Vicarij Generalis de bene, & fideliter punctando iuramentum pręſtent, quod humano omni reſpectu depoſito exequi ſtudeant, ac abſentes cuiuſcumque ſint conditionis punctent (& hoc ſemper in officio poſt primum pſalmum illius horæ, in qua punctari ſolet) ne poſtea ad punctorum reſtitutionem Eccleſiæ teneantur. In Miſſa verò poſt Epiſtolam, &c.

Pręter dictos tres punctatores, Sacriſtam pro tempore huius noſtræ Cathedralis deputamus, qui librum peculiarem habeat in quo puncta extraordinaria pro erroribus, vel exceſſibus delinquentium Canonicorum in Choro adnotare debeat, quando à Nobis, vel à noſtro Vicario generali, vel ab eo, qui in Choro maior erit ei mandatum fuerit, vt ſupra diximus.

Denique dum diuina recitantur officia, nullus Sacerdos, vel Clericus per ſe, aut cum alijs alternatim priuatum officium recitet extra Chorum, nec ſimiliter ante fores Eccleſiæ, vel per ipſam Eccleſiam vagetur, præſertim Clerici illi qui miniſterio Sacrificij ſunt deſignati, ſed vel intra Sacriſtia, vel in ipſo Choro, et non alibi, ſub pæna toties quoties tareni vnius tranſgreſſoribus. Laicos verò, ne ante fores ipſius Eccleſiæ, clamores, et rixas habeant, cum diuina celebrantur admonemus, quod ſi admoniti, non recedent, vel acquieſcent, contra eos opportunis remedijs procedemus.

De Sacriſtia, Sacriſta, & Sacris Altoribus.

VNaqueque Eccleſia Sacriſtiam habeat ſeiunctam, & ſeparatam ad ſacram ſuppellectilem conſeruandam: quod ſi aliqua Eccleſia in hac noſtra Diœceſi, illa careat, quam primum poterit, ea conſtituatur. In ea verò, vnum, vel plura, iuxta loci qualitatem adſint armaria, ad paramenta, & ſacra Vaſa cuſtodienda. Adſit ſimiliter labellum cum manutergio appenſo ad manus abluendas, & abſtergendas, quod manutergium mutetur ſæpius, ne ſordidum, ſed candidum ſemper, & mundum appareat; Ideoque Sacerdotes tantum, & nō alij ibi manus abſtergant, ante vel poſt celebrationem. Adſit in ea, Tabella appenſa, in qua onera Miſſarum, & Anniuerſaria ſingula in eadem Eccleſia celebranda, diſtinctè ſint ordinata cum expreſſione benefactorum, Altarium, ac dierum quando ſatisfieri debet.

Habeat ſimiliter quælibet Sacriſtia, in Eccleſijs inſignibus, & vbi plures ſunt Sacerdotes, quatuor Sacerdotalia paramenta cuiuſcumque coloris ab Eccleſia præſcripti, vt ſi non ſemper, ſaltim certis temporibus & ſolemnitatibus vniformitas colorum inter celebrantes conſpiciatur.

Qui verò Sacriſtæ munere fungitur, ſummopere conſideret onus ſibi impoſitum, qualem requirat ſollicitudinem, ac munditiam, cum & ſacra omnia contrectare, Domum Dei cuſtodire, & ornare debeat, ac in ea, quæ ad diuinum cultum, & diuina ſacrificia ſunt neceſſaria, præparare: ideoque curet ſumma qua decet diligentia, & munditia tantum munus exequi, & exercere, præcipuè, vt Eccleſiæ pauimentum, qualibet Hebdomada mundetur, ſicut etiam cætera Altaria, ac præſertim Altare maius pro temporum qualitate, nitidis, mundiſque ornamentis veſtiatur, Aqua benedicta renouetur, Calices, & Patenæ, per Subdiaconum, & Diaconum illius Hebdomadæ lauentur,

uentur, & abſtergantur, eorumque lotio in Sacrarium proijciatur; Corporalia cæteraque ad ſacrificium neceſſaria, etiam mundari curet: Aquã, Vinum, ac recentes ſępe Hoſtias habere ſtudeat, ſicut tantum decet holocauſtum; Caueat verò, ſub pænis arbitrio noſtro reſeruatis, ne ſacra olea alicui exhibeat, niſi quibus licentiam in ſcriptis illa recipiendi conceſſerimus. Paramenta verò Eccleſiaſtica, & ſacra, ab Eccleſia non extrahat, nec alicui perſonæ, cuiuſcumque ſit qualitatis ad vſum aliquẽ prophanum accommodet, ſicut nec alteri Eccleſię, niſi de noſtra ſpeciali facultate mutuet. Laicos ab ingreſſu Sacriſtiæ tẽpore Sacrificiorum excludat omnino, exceptis Miniſtris alicuius Confraternitatis, qui debent ſubminiſtrare aliquid ex neceſſitate pro ſacrificijs.

Cum in Altaribus, Memoria paſſionis, ac mortis Domini noſtri recolatur, ac ſacroſanctum eius corpus, & ſanguis conſecretur, neceſſarium eſt, vt decenter ſint conſtructa, ac bene ornata; ideoque ſingula habeant propria indumenta, ac ſuppellectilem omnem, tum ad eius cultum, & vſum neceſſaria, tum ad Miſſę ſacrificium religioſe in illis, deuotèque peragendum, nempè tres mappas, altare portatile infixum, duo candelabra, & Crucem, cum effigie Crucifixi cum ſuo gradulo, & cartam Glorię. Inſuper Frontale, ſeu pallium, ac brãdellam ſub pedibus celebrantis longitudinis eiuſdem Altaris, ac ſufficientis latitudinis, pręter iconam, vel in tela, vel in pariete depictam: quę verò Altaria fuerint conſecrata, tota tela cerata ita contegantur, vt facilè à menſa, tela dimoueri non poſſit. In Altaribus verò pręcipuis, ſi non in omnibus ad arcendam puluerem, vel tela, vel corium apponatur, & pallio, ſeu frontali illius coloris, quod feſtum pro tempore requirit, decenter ornetur.

Nulli denique, locus pro Altari, ſeu Cappella conſtruenda concedatur in quacumque Eccleſia huius Ciuitatis, ac

Diœ-

Diœceſis abſque noſtra ſpeciali facultate, et ſine præuia dcte aſſignata: quod ſi aliqua Altaria, et Cappellæ, nullam habeant dotem, nec neceſſaria ad celebrationem, niſi infra menſem de neceſſarijs illa, ac de ſufficienti dote prouiderint, eas Eccleſiaſtico ſupponemus interdicto, ac alijs Patronis illas dotantibus concedemus.

De Sacris Immaginibus.

ARchipræsbyteros, Sacriſtas, & Eccleſiarum Præfectos, vt maximam habeant curam circa ſacras immagines hortamur, & præcipimus, ne quid præſertim pingatur, aut ſculpatur, quod veritati ſcripturarum, traditionum, aut Eccleſiaſticarum hiſtoriarum aduerſetur: pietatem enim redolere debent Sacræ Imagines, vt ex earum inſpectione nulla malis cogitationibus occaſio detur, ſed potius deuotio excitetur.

Immagines Sanctorum inſolitæ, in Eccleſia non ponantur, ſicut etiam non benedictæ, & à nobis prius approbatæ, quod ſi ſecus factum fuerit, tam ipſi Artifices, quam ij, quorum ſumptibus, vel iuſſu effictæ erunt, à Nobis grauiſſimè punientur.

Omnes vtriuſque ſexus fideles huius noſtræ Ciuitatis, et Diœceſis quantum in Domino poſſumus hortamur, vt in cubiculis, vbi requieſcunt, ſacram aliquam imaginem, vel Crucifixi, vel B. Virginis, vel alterius Sancti affixam habeant, coram qua et mane, et ſero orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, et Symbolum Apoſtolorum recitent, gratias agendo Deo de beneficijs acceptis, veniam petendo de offenſis commiſſis, & de cũctorũ periculorũ mẽtis, et corporis liberatione.

Curent Eccleſiaſticæ perſonæ ſuis cohortationibus, vt quicumque in domicilijs picturas, et imagines habent turpes et obſcænas, eas abiiciant, vel ad honeſtatem

reconcinnent, cum ob rerum turpium imagines, Chriſtianorum hominum mentes facilè corrumpantur: vnde illas ita effingi Conſtantinopolitana ſynodus ſanctiſſimè vetuit.

De Sacris Veſtibus, & Vaſis.

NVnquam Veſtes, et ornamenta cuiuſuis generis ſacro vſui deſtinata, ſicut etiam vaſa pro diuinis ſacrificijs, Eccleſiaſticis ſeruitijs adhibeantur, quin prius ſolemnibus præcibus in Pontificali, ſeu Rituali præſcripto à Nobis fuerint benedictæ hæc autem omnia non communibus manibus, ſed per conſecratas, et ſolum in Eccleſiaſticis, ac Deo dignis officijs tangantur, niſi in aliquo caſu neceſſitas aliud ſuaſerit. Sacerdos verò, qui contra dignitarem, vſus fuerit veſte, vel vasè, quod Diuino cultui eſt dedicatum, ſeūeriſſimè puniatur, ſicut etiam laicus, qui in contemptum, et in deriſum ſacram induerit veſtem, ſiue publicè ſacra Vaſa attrectare præſumpſerit.

Veſtimenta verò ſacra, quæ vetuſtate, et longo vſu conſumpta fuerint, itaut inepta videantur, ita vt in alium Eccleſiaſticum vſum conuerti nequeant, non vendantur, nec donentur, nec permutentur, ſed potius comburantur, earumque cineres in ſacrarium recondantur.

Nulli Clerico liceat poſt acceptam Primam tonſuram, induere ſe prima uice publicè ſuperpelliceo in Eccleſia, ſed obtineat prius à Nobis, uel à noſtro Vicario generali ad id facultatē, ſi fuerit in Ciuitate, ſi uerò in Diœceſi ab Archipręsbyteris. Tali autem veſte, non in domo, uel in uia, ſed ſolum in Eccleſia induatur, vt in Choro Deo pſallat, ut rem diuinam faciat, ut diuina operanti aſſiſtat, ut ſacris interſit, ut Sacramentum deferat, et ut deferentem comitetur.

Cum diuina celebrantur officia ab vniuerſo Capitulo, & Clero, omnes Clerici, ſiue maiores, ſiue minores interſint, nec aliquis audeat in Eccleſia ſine ſuperpelliceo co nmorari, ſub pæna, toties quoties, vnius libræ ceræ albæ, vel Carceris per dies octo. Omnes autem tam Clerici, quam Sacerdotes, proprias veſtes mundas, ac nitidas ſemper habere curent, præſertim in maioribus ſolemnitatibus, quando Populus ad Eccleſiam frequentius concurrit.

Et quia ſordidum, & indecens iudicamus Sacerdotes, ac præſertim Dignitates, & Canonicos huius noſtræ Cathedralis Eccleſiæ, propria Sacerdotalia indumenta non habere, quibus diuinum Miſſæ Sacrificium peragant, & ad ſepulturam, cum Deo placuerit deferantur; Idcirco mãdamus, nedum Dignitatibus, & Canonicis præbendatis, ſed etiam Hebdomadarijs, alijſque Sacerdotibus, vt iuxta cuiuſuis poſſibilitatem, ſi non prius, ſaltim infra annum, vnuſquiſque ſibi de decenti caſula, alba, cingulo, & amictu prouideat, ſub pæna librarum quinquaginta ceræ albæ tranſgreſſoribus. Qui vero ad Sacerdotium de nouo promoti fuerint, ſciant ſe nunquam primum ſacrum facturos, niſi hoc idem mandatum adimpleuerint.

De Reliquijs, & venerntione Sanctorum.

VT ſanctorum Reliquijs ea, quæ debetur veneratio, & cultus adhibeatur, ſtatuimus eas in locis honeſtiſſimis ac decoris Vaſculis, qua debẽt Religione conſeruari, ne c facile educantur, & omnium oculis exponantur, ſed tẽporibus ſuis, præſertim in feſtis ipſorum Sanctorum, quorum ſunt Reliquiæ, vel ipſius Eccleſiæ vbi reconduntur, vel in maioribus feſtiuitatibus, & tunc ſolẽniter, ac luminaribus accenſis, Populo oſtendantur; Cum verò exponuntur, & recondũtur, Hymnus, vel de Apoſtolis,

vel de Martiribus, iuxta ipſorum Sanctorum qualitatem decantetur, cum verſiculo, & oratione ipſius Sancti, nec ab alio deferantur, quam ã Sacerdote induto ſuperpelliceo, & ſtola ad maiorem eorundem Sanctorum decorem, & venerationem.

Denique ſi Eccleſia aliqua in hac noſtra Diœceſi, Reliquias Sanctorum habeat, ſine Reliquiarijs in quibus accluſę cuſtodiantur, quamprimum Reliquiaria confici curent, ſaltim ex ligno deaurato, ac Vitris, vnde à Chriſtifidelibus adorari, ac conſpici poſſint, ne poſtea in ſequenti Viſitatione Parrochos, & alios ad quos ſpectat, ſi forte illos in hoc negligentes inuenerimus, corrigere, & punire cogamur.

De Repreſentationibus, ac ſacris Concionibus.

QVoniam conſuetudo repræſentandi Populo venerandam Chriſti Domini paſſionem, & glorioſa Martirum certamina aliorumque Sanctorum res geſtas, hominum peruerſitate eo deducta eſt, vt multis offenſioni, multis etiam deſpectui ſit; præcipimus, ne deinceps amplius fiant, nedum in hac Ciuitate, verum etiam per Diœceſim: immo abſtineant etiam Concionatores à ſimilibus inter concionandum de paſſione Domini Repræſentationibus, quæ deuotionem potius remouent, quam augeant, ſed eam ſimplici, ac pia narratione percurrant, vt auditores ad eius imitationem, ac venerationem excitentur.

Et quia ſacrum Miniſterium prædicandi verbum Dei in Eccleſia præcipuum eſt, cum ſit ignis ille ſemper in Altari ardens; idcirco, qui Concionandi munus exercet, ligna ſubminiſtrare, nempe optima, & præclara vitæ exempla, atque opera virtutum debet, quibus corda fidelium ad ſanctè, ac piè viuendum valeat inflammare; Quare Concionatores omnes, tàm in Ciuitate, quam in Diœ-

ceſi hortamur, vt Populum ad Dei charitatem, proximi dilectionem ad vitæ Chriſtianæ inſtituta, ad Pænitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentorum frequentiam, atque ad alia pietatis opera frequenter accendant: publicorum peccatorum illecebras repræhendant, prauaſq. conſuetudines, remouere, ſanctaſque ac laudabiles introducere ſtudeant.

Aliquem nominatim non inſectētur, vel ita verbis circumſcribāt, vt de quo loquatur facile poſſit Populus animaduertere. Epiſcopos, alioſque Prælatos, Principes, ac Dominos in Concione aſperè ne obiurgent, ſed potius occaſionem quærat, eoſq. piè admoneat, ſi aliquando charitas, vel neceſſitas poſtulet.

Sacram ſcripturam contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta Mater Eccleſia, aut contra vnanimem conſenſum Patrum non extorqueant, Res ineptas, & ſuperuacaneas, vel parum fructuoſas non afferāt, Hæreticorū opiniones, eorumque argumēta (vbi ſimplex eſt Populus & indoctus) non referāt: Miracula vero, quæ certi Autoris teſtimonio non commendantur, neque fuerint ex approbatis, non narret.

Eleemoſinæ nomine neminem commendēt, niſi noſtra, aut miniſtrorum noſtrorum authoritate eis notificatum, ſicut nec nouas indulgentias promulgare, audeant, niſi à Nobis, vel à noſtro Vicario generali in Ciuitate, & ab Archipræsbyteris in Diœceſi fuerint recognitæ.

Denique nullibi hoc ſacroſanctum prædicandi munus exerceant, ſine præuia noſtra, vel noſtri Vicarij generalis benedictione; cum hoc munus proprium ſit Epiſcoporum, vel eorum quibus ab Epiſcopis demandatum fuerit. Quomodo enim inquit Apoſtolus prædicabunt, niſi mittantur, Confeſſiones vero Chriſtifidelium non audiant, niſi prius examinati, & à Nobis fuerint approbati.

De

De Rebus Eccleſiæ, Piorumque locorum non alienandis.

CVm Eccleſiæ, piorumque locorum bona, Chriſti verum patrimonium ſint, eaque ſibi ex totius orbis plenitudine tanquam propria reſeruauerit; idcirco prædictorum bonorum alienationes, conceſſiones, etiam in emphiteuſim, ac locationes vltra triennium, contra Summorum Pontificum Conſtitutiones, præſertim Pauli II. quæ incipit (Ambitioſe) fieri omnino prohibemus ſed Sac. Conc. Trid. decretum, quo anathematè damnantur bona Eccleſiæ vſurpantes, ſicut prædictam Conſtitutionem inuiolabiliter obſeruari mandamus. Quod vt facilius exequutioni demandetur, ſtatuimus, vt tam Eccleſię Cathedralis, quam aliarũ Eccleſiarũ Parrochialiũ per Diœceſim gubernatores, ac Beneficia Eccleſiaſtica obtinentes, piorumque locorum, adminiſtratores, omnium, & ſingulorum bonorum mobilium, ſtabilium, iurium, actionum, ac cenſuum, ſiue reddituum rationem diligentiſſimè conquirant, eorumque omnium inuentarium, per publicum Notarium diligenter conficiendum, infra ſex mẽſes ab huius decreti publicatione, omnino habere curent, & ſi aliqui dictum inuentarium iam ab antiquo, vel a multo tempore habent, cum ob finium mutationes, quæ progreſſu temporis fiunt, multorum bonorum memoria euaneſcat; idcirco volumus, vt ſaltim quo ad fines bonorum, qui facile mutati eſſent, de nouo conficiatur, ac renouetur. & ita confectum, & renouatum, in proprio Archiuio cuiuſcumque Eccleſiæ conſeruetur, tranſmiſſa copia ad Archiuium huius noſtræ Cathedralis Eccleſiæ, vel quod melius eſſet, tranſmiſſo huc originali, & copia apud eaſdem Eccleſias relicta.

Si quæ Eccleſiarum bona, laicis ad emphiteuſim conceſſa, caduca facta ſint, caueant Beneficia Eccleſiaſtica obtinentes, ne pænas caducitatis remittant, niſi ſeruatis ijs,

quæ in hoc genere iura præſcribunt: ſi ſecus fecerint pœnis arbitrio noſtro reſeruatis punientur.

Præcipimus omnibus, & ſingulis quibuſcumque Notarijs, & ſcribis ſub pœna excommunicationis, ne vllo modo ſub quocumque prætextu, in conficiendis contractibus pro alienatione bonorum Eccleſiaſticorum interſint, vel aſſiſtant: imo præcipimus illis, vt ſi de ſimilibus ab aliquo rogati fuerint ſtatim Nos certiores faciant, vt contra illos, oportunis iuris remedijs procedere valeamus.

Sub eadem pœna mãdamus omnibus Notarijs, ac Patribus Cõfeſſarijs, quibus quãque continget pias decedentiũ ex hac vita voluntates deſcribere, vltimaque condere Teſtamenta, quod à die ſequutæ mortis ipſius Teſtatoris infra viginti quatuor horarum ſpatium; imo prius quam cadauer ſæpeliatur, ſi in Ciuitate acciderit, & ſi in Diœceſi infra triduum, piam illam voluntatem, piaque legata Eccleſijs facta, in ſcriptis ad Nos deferant, vt quamprimum eorum voluntatem exequutioni demandare poſſimus.

Quod verò ſpectat ad Bonorum Eccleſiaſticorum, & piorum locorum vſurpationem, Conc. Tri. decretum, ad maiorem omnium intelligentiam vulgari idiomate in fine huius Synodi apponetur.

De Exequijs, Sepulturis, ac Funeralibus.

CVm ſancta, & ſalubris ſit cogitatio pro defunctis exorare, vbi primum aliquis ex hac vita migrauerit, Sacriſta illius Eccleſiæ, ad quam cadauer deferri debet, moneatur, qui ſtatim exhibeat ſignum de illius obitu per ſonum Campanæ, ſicut fieri ſolet in meridie, vt illud audientes, pro Defuncti Anima preces ad Deum fundant: quando verò ad ſepulturam mortuorum Cadauera perferũtur, rectò tramite ad illam, quam elegerint deferan-

ferantur; eorum verò Cadauera, qui nullum habent, vel elegerint ſepulturæ locum, vel in Cæmeterijs, vel in publicis ſepulturis humentur: quod ſi ab inteſtato deceſſerint, iuxta conſuetudinem locorum ſepelientur.

Corpora occiſorum ante viginti quatuor horarum ſpatium, alia vero ante duodecim horas nullo modo ſepeliantur abſque noſtra expreſſa licêtia, ſub quocunque prætextu, ſicut nec cætera cadauera nocturno tempore, vel occultè in loco ſacro ſepeliantur, ſub pæna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda Eccleſiaſticis; laicis verò, ſi in hoc participauerint, ſub pæna excommunicationis: publici verò excommunicati Concubinarij, manifeſti Vſurarij, Hæretici, Mortui in Duello, aut ſibi ipſis manus inferentes, Eccleſiaſtica careant ſepultura, niſi fortè prius aliquod contritionis ſignum eos dediſſe innotuerit.

Regulares cuiuſcumque ordinis, ſub quocumque prætextu, etiam conſuetudinibus, ſepelienda Cadauera, ad eorum Eccleſias deferre non audeant; niſi vocato, & expectato proprio Defuncti Parrocho, vel Capitulo, ſi vocatum fuerit, vt in decreto Sacræ Congregationis ſuper negotijs Epiſcoporum, & Regularium ſuo die x. Menſis Ianuarij 1624. fuit decretum. Sacerdotes verò qui ad ſepelienda Cadauera fuerint vocati, niſi à principio proceſſionis vſque ad finem funeris cum ſuperpelliceo ſemper aſſiſtentes fuerint, nihil participent de illa diſtributione, ideòque abſentes, nedum in fine funeris punctentur, ſed etiam in principio proceſſionis.

Et ne circa eleemoſinas exigendas à parentibus, & propinquis Defunctorum, difficultas amplius, vel controuerſia oriatur, taxam à Nobis ſuper hoc alias factam obſeruari mandamus. Cadauera verò pauperum, & miſerabilium perſonarum, quorum æs ad impenſas funeris, & exequiarum non ſufficiet Capitulum Cathedralis, ſiue Præsbyteri aliarum Eccleſiarum, gratis omnino, vt omnem auaritiæ ſuſpicionem amoueant, ſepeliant. Nullum

au-

autem Cadauer in ſepulturam inferatur, ſine Curati Eccleſiæ præſentia, vel alterius ab eo deputati, vt inde omnis ſuperſtitionis occaſio amputetur, ac occluſa ſepultura, nullus audeat illam aperire, præſertim occultè ſub quocumque prætextu, ſub pęna excommunicationis. Quod ſi aliquis depræhenſus fuerit cadauera expoliaſſe, vel aliquid illis abſtuliſſe de ijs, quæ ſecum ſepulta fuerant, vltra pænam excommunicationis, quam ipſo facto incurrere volumus, grauiſſime à Nobis punietur.

Quilibet Sacerdos poſt mortem alterius Sacerdotis, pro eius Anima vnicam Miſſam celebrare teneatur eadem die, vel prima non impedita, Diaconi verò, & Subdiaconi, ac alij Clerici, integrum Defunctorum officium recitare debeãt, quod intelligendum eſt, nedum de Sacerdotibus in patria decedentibus, ſed etiam extra, & per Diœceſim.

Præter Anniuerſariam diem omnium Defunctorum, laudabilem conſuetudinem alterius Anniuerſarij à Nobis introductam feria Quinta Baccanalium, celebrandi pro Animabus derelictis, vt eam continuent, quantum in Domino poſſumus, omnes hortamur, inchoando à primis Veſperis, ſicut obſeruatur die ſecunda Nouembris in Commemoratione omnium Defunctorum, cum aſſiſtentia totius Capituli, & Cleri.

Anniuerſaria pro mortuo Epiſcopo præcedenti, quolibet anno, nedum in Cathedrali Eccleſia, ſed etiam in omnibus alijs Eccleſijs huius Diæceſis, die propria illius obitus celebretur, quam diu eius ſucceſſor in Epiſcopatu vixerit, ſicut poſt diem Anniuerſarium omnium Defunctorum pro omnibus anteceſſoribus Epiſcopis, ſinguli Sacerdotes ſacrum ſacere teneantur, ac proxima ſequenti die pro mortuis Canonicis; & alijs Sacerdotibus eiuſdem Eccleſiæ.

In die verò obitus eiuſdem Epiſcopi, vbi primum per Diœceſim innotuerit, in Eccleſia Cathedrali conueniant tam vrbani, quam Diœceſani Sacerdotes pro illius Anima

Sacrum,

Sacrum, & funeralia celebraturi, Deumque pro illius Anima rogaturi, vt eam in æterna recipiat Tabernacula.

De Confraternitatibus ſeu ſodalitatibus, & Hoſpitalibus.

NVllæ cuiuſuis nominis Confraternitates inſtituantur,& erigantur, nequè erectæ aut inſtitutæ Collegij ſibi habitum ſumant, ſine ſedis Apoſtolicæ, vel Epiſcopi authoritate, & facultate literis explicata.

Noui Confraternitatum officiales,quicumque illi ſint, ſiue Priores, ſiue Procuratores, vel quouis alio nomine nuncupentur, anno quolibet eligantur, præſente noſtro Vicario generali, vel alio à Nobis deputando,qui completa electione, ſi pacifica fuerit, & ſine difficultate eam confirmet, alias Nobis illam notificet, vt quod expediēs fuerit decernamus. In Diœceſi verò non niſi præſente Archipræsbytero fiat. Volumus autem,quod in ſero præcedenti nouam electionem, ſemper fiat ſignum Campanæ per extenſum,adhoc vt Confratribus omnibus innoteſcat futura ſequentis diei noua electio, quæ non niſi per dies quindecim circiter,ante feſtum dictæ Confraternitatis fieri debeat: alias ſi hæc omnia non fuerint ſeruata in quacumque electione cuiuslibet Confraternitatis, electio ipſo facto ſit nulla, ſicut nullam illam ex nunc pro tunc declaramus.

Qui in aliqua ex dictis Confraternitatibus officialis munere functus fuerit,non niſi poſt biennium à die completi muneris iterum in officialem eiuſdem Confraternitatis eligi poſſit :& ſi forte in pæterita adminiſtratione de aliqua pecuniæ sūma infidelis ſignificatus fuerit, iterū eligi nequeat,nec in eadē,nec in alia Confraternitate,niſi ſatisfacto prius debito. Præsbyteri verò,vel Clerici,in officiales amplius non eligantur,ſine noſtra præuia licentia: In Cappellanos, tamen eligi poterunt.

Pro-

Procurator, ſeu Capſarius. ad quem exactio reddituum Confraternitatis ſpectat, quamcumque pecuniæ ſummam, ſemper ſub claui cuſtodiat, nec alicui, etiam officiali ſub quocumque prætextu det, vel mutuet imo neque ad proprium ſui ipſius commodum ea vti poſſit, ſub pæna excõmunicationis, quam ipſo facto, dictum Procuratorem incurrere volumus, ſi hoc noſtrum decretum transgreſſus fuerit.

Similiter ſub eadem pæna, pecuniæ eiuſdem Confraternitatis nemini cenſuentur, niſi habito pleno Conſilio. Cõfratrum, vel de noſtra ſpeciali licentia, ne Cenſus male fundentur, & facile in præiudicium dictæ Confraternitatis deperdantur, ſi ad vnius tantum beneplacitum noui cenſus creentur.

Singuli Confraternitatum officiales, completo anno ſui muneris, infra dies viginti teneantur quinterna, ſeu libros ſuarum adminiſtrationum, Rationalibus electis cõſignare, qui, infra alios dies decem coram Nobis comparere debeant, vel coram noſtro Vicario generali cum ipſis officialibus ad recognoſcenda computa dictæ adminiſtrationis ſub excommunicationis pæna.

Et quia inuenimus Confratres omnium Confraternitatum huius Ciuitatis, nullas habere Regulas, & leges, quibus regantur, & gubernentur, nec aliquid adimplere ex ijs, quæ debent pro conſecutione indulgentiarum, quas eis ſummi Pontifices conceſſerunt; & ob defectum dictarum legum plurima ſequuntur indecentia; idcirco, vt ſingulæ ſciant, quibus debeant Regulis gubernari, ac quomodo indulgentias, & gratias in ſalutem ſuarum Animarum lucrari valeant, peculiares leges, ac Regulas, quæ in calce huius Synodi vulgari idiomate conſcriptæ habentur, omnino in poſterum obſeruari mandamus.

Xenodochia, ſeu pauperum Hoſpitalia, nempe Sanctiſſimi Roſarij, Sanctiſſimæ Annunciationis, Sancti Nicolai, & Antonij, cũ non habeant peculiares redditus, ſed ab ipſis

Con-

Confraternitatibus regantur, earumque expenſis de neceſſarijs prouideantur, quantum in Domino poſſumus Confratrum Priores, & alios Officiales, ſeu Hoſpitalarios ad quos eorum gubernatio ſpectat, hortamur, vt pauperes infirmos benignè ſuſcipiant, & charitatiuè pertractent, omnia neceſſaria eis, quantum fieri poteſt ad corporis ſalutem recipiendam ſubminiſtrantes.

Et ne dum corpori proſpicitur, ſpiritualis animæ ſalus contemnatur; Volumus, vt vbi primum infirmus aliquis in hoſpitali fuerit receptus, ſtatim per illius officialem, qui eum ſuſcipiendi onus habet, admoneatur proprius Parrochus, qui infirmum viſitet; & ſi aduena fuerit, literas eius teſtimoniales recognoſcat, an verè fidelis, & Catholicus ſit, & an in Paſchate communicauerit, & tunc eius audita confeſſione, ſi infirmitas poſtulet, cætera Sacramenta ſubminiſtret, nec vſque ad extremum vitæ ſpiritū eum deſerat, & ſi aliquid reliquerit pro Anima ſua, vel teſtatus fuerit, ſtatim nobis notificet, vt eius vltimam voluntatem exequi ſtudeamus, ſub pæna ſuſpenſionis à diuinis Parrocho, ſi non reuelauerit.

Mares cum feminis, in Hoſpitalibus ſimul non commorentur, ſub quocumque prætextu, ſed feminæ in Hoſpitali S. Antonij recipiantur, & non alibi, ibique curentur. Mares verò in alijs hoſpitalibus. Quod ſi quis pauper ſuperuenerit: & peregrinus, non tamen infirmus, qui tantummodo hoſpitio indigeat, per duos, vel ad ſummum per tres dies in Hoſpitali Sanctiſſimæ Anunciationis recipi poterit de licentia Prioris, vel Procuratoris Confraternitatis eiuſdem, quo termino elapſo dimittatur. Si verò Sacerdos, vel perſona ciuilis conditionis fuerit, in Hoſpitali maiori Sanctiſſimi Roſarij de licentia tamen Prioris, vel Procuratoris Confraternitatis, quoties id acciderit recipi poterit.

Homines verò, ac mulieres, vagantes non infirmæ, nec ex deuotione peregrinantes, ſed quæ bona venalia circum-

ferentes ea publice exponunt, nullo modo recipiantur amplius in Hoſpitali Sanctiſſimę Annunciationis, ſub pęna hoſpitalario, vel cui intereſt, excommunicationis, ac ſui muneris priuationis: Quod vt omnibus innoteſcat, præcipimus hoc noſtrum Edictum vulgari Idiomate translatum, ad valuas eiuſdem Hoſpitalis affigi, ibique ſemper affixum permanere.

De Proceſſionibus, ac publicis precibus.

AD generales Proceſſiones, quæ vel ex præcepto Eccleſiæ, vel ex alia publica cauſa ſolemniter celebrari debent, tam Cle us ſæcularis, quam Regularis vocatus conueniet: ſæcularis ſub pænis iam à Nobis ſtatutis, Regularis verò ſi renuerit autem Sac. Conc. Trid. compellatur; & qui ab initio Proceſſionis, antequam Clerus ex Eccleſia progrediatur, non interfuerit, tanquam abſens cenſeatur. Similiter Confraternitates vocatæ teneantur conuenire ſub pænis arbitrio noſtro reſeruatis.

Nulla fiant Proceſſiones extraordinariæ ſiue à Choro ſæculari, ſiue à Regularibus per Ciuitatem abſque noſtra, vel noſtri generali Vicarij facultàte, & approbatione.

In Proceſſionibus autem ſolemnibus incedant omnes bini, & bini, ea grauitate, ac modeſtia, quæ Religioſos Viros in actu publicæ deprecationis decet, vt totius corporis compoſitione ambulantes, ac pſalmos alternatim, vel Hymnos recitantes, populum ad deuotionem, & ad Diuina beneficia impetranda valeant excitare. Veſtes deferent talares, decenti, mundoque ſuperpelliceo, ac Clericali bireto; pileum enim non deferant, nec chirothecas, nec in manibus flores, procedendo, & ſubſiſtendo abſtineant omnes à colloquijs curioſitate mentis, oculorumq. euagatione.

Cum verò Litaniæ, ſeu aliæ preces decantantur, non curſim, & velociter, ſed grauiter, & punctuatim recitentur, ita vocem

voçem ſimul moderantes, vt cum cæteris concentum, nõ diſſonantiam pariant, neque in illis recitandis inchoetur Proceſſio, niſi poſt præcationem (ſancta Trinitas vnus Deus, & ſimiliter non prius deueniatur ad Verſiculum (Peccatores) quam Clerus fuerit Eccleſiam ingreſſus, ſi fieri poterit, quia tunc debent omnes genuflectere ante Maius Altare.

Laici in huiuſmodi Proceſſionibus, Clerum non antecedant, ne ordinem incedentium perturbent, ſed ea qua decet reuerentia retrocedant, ita tamen, vt feminæ Viris non intermiſceantur, ſed quantum fieri poteſt ſeorſum, & ſeparatim, tanquam Caſtrorum Acies ordinatæ coram eorum Duce Chriſto, humiliter, & deuotè ſtudeant apparere.

In Proceſſione, quæ in die Sacratiſſimi Corporis Chriſti fieri ſolet ea omnia ſeruentur, quæ in Ceremoniali Epiſcoporum præſcribuntur, præſertim verò curet Magiſtratus Ciuitatis, & aliorum locorum Diœceſis, vt die præcedenti viæ omnes mundentur, ac purgentur, ac Floribus, & frondibus ſternantur, Muri verò non prophanis, vel obſcænis picturis exornentur, ſed potius pannis ſericeis, vel laneis, prout cuiuſcumque vires patiuntur. Immagines verò, & picturæ, ſi quæ exponuntur, ſacræ, ac piæ ſint, præſertim ſanctam Domini Paſſionem repræſentantes: Campanæ omnes tunc vndique pulſentur, ac demũ omnia grauitatem, ac maieſtatem, quæ tantam decet ſolemnitatem, vbique ſpirent, ideoque nihil ludricum, vel quod riſum excitet per eaſdem vias fiat, vel repræſentetur, quod ſi de præcedentia ea die aliqua oriatur quęſtio, ne Populus ad tumultum, vel ad deuotionis perturbationem excitetur ſtatim extingui, ac ſopiri Magiſter Ceremoniarum curet, vel ſimpliciter noſtræ pro tunc acquieſcant deciſioni.

Nulla crux in proceſſionibus à laicis perſonis deferatur, ſed à Clerico ſuperpelliceo induto, ac veſte talari. Crux

verò Cathedralis ſaltem à duobus Confeſſarijs ſemper aſſocietur. Nec aliquis, qui proceſſioni interfuerit, prius ab Eccleſia diſcedat, quam precibus, & orationibus abſolutis, & à Nobis, ſi præſentes fuerimus, benedictione accepta.

In proceſſionibus verò, quæ in Hebdomada maiori fieri ſolent à Confraternitatibus huius Ciuitatis, præſertim feria Quinta, & feria Sexta eiuſdem Hebdomadæ, nullæ fiant repræſentationes miſteriorum Paſſionis Chriſti Domini, ſed ſinguli Confratres accenſa luminaria in manibus geſtantes, bini & bini incedant, debitam diſtantiam inter ipſos ſeruantes, ac ea qua decet modeſtia, & deuotione meditantes potius doloroſa miſteria, quam loquentes, vel aliud agentes.

Et quia ob miſeram temporum, & morum ſuadentem conditionem, à negotio perambulante in tenebris maximè cauendum eſt, ne vlla obſeruandi caliginem adulteris, ac laſciuis oculis facultas relinquatur (Qui enim male agit odit lucem) idcirco mandamus, vt in ſupradictis proceſſionibus, quæ nocturno tempore fieri ſolent, & maxime extra Ciuitatem, mulieres omnino non interueniãt, ſed ſi propriæ voluerint ſatisfacere deuotioni, ſufficiet illis die ſequenti, ſummo mane, ad exemplum ſanctarum illarum mulierum, quas Euangeliſtæ recenſent, ſacrum Chriſti ſepulchrum inuiſere, quod in ſingulis ferè Eccleſijs tam intra, quam extra hanc Ciuitatem, ad renouandam memoriam Paſſionis, ac ſepulturæ Chriſti Domini, confici ſolet.

De Regularibus.

Regulares omnes huius noſtræ Ciuitatis quantum in Domino poſſumus hortamur, & admonemus, vt ea religioſæ vitæ exempla ſecularibus præbeant, quæ eorũ ſtatus, ac profeſſio poſtulare videtur, qua propter eorũ

ſupe-

ſuperiores charitatiuè rogamus, vt in officio illos contineant, nec per Ciuitatem vagari, permittant præſertim ſine ſocijs, ne poſtea ſcandaloſe viuendo, & enormiter extra Clauſtra peccando, ſi incorrigibiles appareant, contra illos, iuxta Concil. Tridentin. decreta procedere cogamur.

Sciant omnes Regulares, qui ſanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritate, & priuilegio Conſeruatores ſibi eligere poſſunt, ſemel factam electionem non poſſe per eos amplius immutari, eamque nullam exiſtere, niſi capitulariter factam, & Nobis infra menſem notificatam. Si verò Conſeruatores aliter electi in cauſis ſe intromiſerint, omnis eorum actio nulla erit, & ipſi Regulares in noſtra Curia conueniri debent, ac ſi Conſeruatores non elegiſſent.

Nullos mittant eleemoſinarum Quæſtores, præſertim ad Molendinos huius Ciuitatis, niſi probatæ vitæ, & ætatis maturæ, ne ſi aliquod ibi ſcandalum oriatur, quæſtuandi poſtea facultas in illis locis eis interdicatur.

Nullus in poſterum Confeſſarij munus exercere audeat, niſi prius approbatus, & examinatus à Nobis, & à noſtris examinatoribus Synodalibus, & niſi obtenta à Nobis in ſcriptis facultate, alias grauiſſime punietur.

De Sanctimonialibus.

CVm Virgines Deo ſacræ, & à ſæculi conſortio ſegregatæ in id totis iuribus debeant intendere, vt ſolum cæleſti ſponſo, cui in terris coniunctæ ſunt placere debeant, præcipuè quantum fieri poteſt proprias ordinis Regulas, ac Conſtitutiones, ſuorumque Superiorum ordinationes ſtudeant adimplere quod vt facilius aſſequantur, volumus, vt quotidie in Refectorio refectionis tempore, ſaltim vnum, vel duo ex capitibus ſuarum regularum, & ordinationum perlegantur, ne tam ſalutiferè

rè exercitationis intermiſſione, eorum, ad quæ ob debitum profeſſionis, ac Religionis tenentur, memoria evaneſcat.

Et quia parum Monialium ſaluti prodeſſet communis cohabitatio in Monaſterio, niſi communem quoque vitam profiteretur, & quod facilè in Monaſterijs, quæ de nouo eriguntur introduci hæc cõmunitas poteſt; idcirco volumus, vt Moniales omnes in hoc noſtrũ nouũ Monaſteriũ introducendæ huiuſmodi vitam communem, iuxta ſecũdam Regulam Sanctæ Claræ, cuius habitum debent induere, & Regulam profiteri, omnino obſeruent, quæ communitas in Regulis eiuſdem Monialibus præſcribendis, melius, & clarius explicabitur.

Nemo cuiuſcumque ſit conditionis, & qualitatis ſub excommunicationis pæna, Moniales alloqui præſumat, ſine ſpeciali licentia à nobis, vel à noſtro Vicario generali in ſcriptis obtenta, exceptis conſanguineis in primo gradu, quibus ipſa Monaſterij Abbatiſſa, quando expediens iudicauerit, facultatem concedere poſſit; dummodo in temporibus iuxta Regulam vetitis, non concedatur. Inter colloquendum autem adſint ſemper auſculatrices deputatæ, ſine quibus Moniales neminem vnquam alloqui liceat.

Clerici, & alij Præsbyteri, qui ſine licentia Moniales alloquuti fuerint, præter ſententiam excommunicationis, prædictam, grauiſſimis etiam pænis arbitrio noſtro puniantur, quod ſi aliqua ex Monialibus ſine debita licentia aliquem alloquuta fuerit, prima vice per menſem a colloquutionis loco arceatur, & per Abbatiſſam publica ſalutari pænitentia puniatur, quod ſi alia vice in eundem errorem inciderit, ad maiores pænas, etiam vſque ad veli priuationem ad tempus, contra ipſam procedetur. Abbatiſſa verò, quę in hoc negligens fuerit noſtram animaduerſionem experietur.

Quę verò circa earundem Monialium clauſuram à Sacr. Conc.

Conc. Trid. ac ſumm. Pontificibus præſertim à Pio V. ac Gregorio XIII. ſancita fuere, inuiolabititer obſeruari mādamus; ita vt nemini liceat, niſi in caſu vrgentis neceſſitatis eiuſdem Monaſterij clauſuram ingredi, & tunc de licentia noſtro, vel noſtri Vicarij generalis in ſcriptis; quæ quidem neceſſitas ſemper examinanda erit, an talis ſit, & vrgens.

Puellæ verò ſolum poſt ſeptennium, educationis cauſa admittantur, præuia licentia in ſcriptis. Ad ſuſceptionem verò habitus non niſi poſt duodecimum annum completum obtenta à nobis prius licentia & voluntate explorata admittantur, ſicut etiam ad profeſſionem poſt Annum decimum ſextum, dummodo per annum in nouitiatu permanſerit, & prius debitam dotem Monaſterio perſoluerint, ſicut etiam alimenta anticipatè perſoluere teneantur parentes Puellarum educandarum pro quolibet ſemeſtre.

Moniales Confeſſarium habeant à nobis aſſignatum, cui ordinario confiteri debeant, extraordinarium verò iuxta diſpoſitionem Sac. Conc. Trid. ſi ipſe petierint ſuis temporibus eis facilè concedemus.

Cætera denique ad ad bonum ipſarum Monialium Regimē, & curam ſpectantia, iuxta præſcriptam illis à Nobis Regulam omnino obſeruari mandamus.

De Iuriſdictione Eccleſiaſtica & Eccleſiarum perſonarum immunitate.

CVm ex Bulla Cænæ Domini excommunicentur omnes Magiſtratus ſæculares, eorumque Miniſtri, quomodolibet retardantes, vel impedientes exercitium Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, caueant eorum laici miniſtri, ne ſub quouis quæſito colore officiales noſtræ Epiſcopali Curiæ ſeruientes impediant, vel ipſorum aliquem, quo minus Eccleſiaſtica iuriſdictione contra quoſcumque

iuxta Canonicas ſanctiones liberè vti poſſit, hoc eſt eos ab exequendis Epiſcopalis Curiæ mandatis deterrendo, vel inſequendo, vel quod deterius eſt ſub aliquo prætextu eos detinendo, vel carcerando, cum officiales, ac miniſtri ſint tantummodo Curiæ noſtræ ſubiecti; ideoq; in ſimilem excommunicationem incidentes, ſciant non niſi ab Apoſtolica Sede abſolutionis beneficium ſe conſequi poſſe.

Similiter eandem excommunicationem incurrant laici Miniſtri, ſi notorios Clericos, ac perſonas Eccleſiaſticas, ſine noſtra ſpeciali licẽtia capere, vel detinere præſumpſerint, etiam animo ducendi ad ſuperiores, ſicut etiam ſi proceſſus contra eos formare directè, eoſq; in iudicium quomodoli bet trahere au ſi fuerint.

Eaſdemque quoque cenſuras incurrere non eſt dubitandũ publicanos, vectigalia in hac Ciuitate, & Diœceſi exigentes, vel exigere præſumentes ab Eccleſiaſticis perſonis, nempe collectas, gabellas, bonam tenentiam, & quaſcumque laicales impoſitiones: vltra enim cenſuræ incurſionem Sedi Apoſtolicæ reſeruatam, non prius abſolui poſſe nouerint, quin integram exactorum ſe cerint reſtitutionem.

De Archiuio.

IN qualibet Eccleſia inſigni, vbi fieri poteſt, Archiuium erigatur, ibique ſcripturæ, & publica Inſtrumenta ſpectantia ad eandem Eccleſiam, continentia bona, iura, priuilegia, conceſſiones, & redditus diligentiſſimè cuſtodiantur, ne temporis progreſſu aliquid eorum in præiudicium Eccleſiæ deperdatur, quod quidem Archiuium ſaltim duabus clauibus occludatur, quæ penes duos cõſeruentur, nec inde ſcriptura aliqua originalis extrahatur, niſi ex maxima neceſſitate, dummodo poſtea ad idem Archiuium reddidi curetur.

Cæteræ verò Eccleſiæ, quæ Archiuia habere nequeunt, nec tuta loca ad ſcripturarum conſeruationem, inuentaria originalia iam confecta, cæteraſque ſcripturas, ſi quas habent, ad Archiuium huius Cathedralis Eccleſiæ, relictis ſibi ipſis authenticis copijs transferant, iuxta decretum in hac ſancta Synodo iam promulgatum in Capitulo de bonis Eccleſiarum non alienandis. Fundationes etiam beneficiorum, ab ipſis beneficiatis diligentiſſimè conquirantur, & ſi quæ inuentæ fuerint, vna cum inuentarijs bonorum, in hoc etiam Archiuio recondantur.

Et quia in hoc eodem Archiuio, Cathedralis Eccleſię, plura inuenimus Inſtrumenta diuerſorum iurium, ac priuilegiorum ad hanc Cathedralem Eccleſiam, eiuſque Capitulum, aliorumque Cappellas ſpectantia, quæ ſatis lacera, & corroſa cernuntur, vnde temporis progreſſu, quid in illis contineatur, nec amplius legi, nec cognoſci poterit; idcirco mandamus, vt infra menſem, ab hoc noſtro Capitulo, aliquis in Archiuiſtam eligatur, & deputetur, qui dictarum ſcripturarum indicem conficiat, ac earum, quæ vix legi poſſunt, & ad interitum properant authenticas copias extrahi curet, in defectum eorundem originalium, ne iurium, ac priuilegiorum huius Eccleſię memoria, ob negligentiam viuentium, omnino apud poſteros pereat, ac euaneſcat, eaque omnia in hoc Archiuio contenta diſtinctè, & ordinatè diſponat, vt facile, cum oportuerit, ſcriptura quęlibet reperiatur.

Hoc idem Archiuium, tres habeat claues, quarum vna in Palatio Epiſcopali, altera pænes Capitulum, tertia pęnes aliquem à Diœceſi deputandum, pro ſingulorum intereſſe conſeruetur: nec alicui credantur, ſed cum aperiri contigerit Archiuium, clauium cuſtodes ſemper aſſiſtant, ne ſcriptura aliqua originalis inde extrahatur, vel mutiletur, vel uitietur.

CVm iam in hac noſtra Cathedrali Eccleſia, iuxta præſcriptum ſac. Conc. Trid. conſtituta, & erecta ſit Præbenda Theologalis, cuius prouiſus, moralem Theologiã, ſeu Caſus Conſcientiæ, publicè Capitulo, & Clerò ſemel in Hebdomada legere tenetur; idcirco mandamus omnibus de eodem Capitulo, Canonicis, Hebdomadarijs, Parrochis, ſeu Animarum Curatis, ac Confeſſarijs omnibus, tam ſæcularibus, quam Regularibus, cæteriſque Sacerdotibus, ac in ſacris conſtitutis, vt audito ſigno dictæ lectionis, conueniant omnes in Eccleſia Sanctiſſimæ Annunciationis, ibique à principio vſque ad finem aſſiſtant ſub pœna abſentibus vnius tareni pro qualibet vice pijs vſibus applicandi: Regularibus verò, ſi per duas vices continuatas non interuenerint, ſuſpenſionis ab adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ.

Et quia multum refert praxi eiuſdem Sacramenti, de auditis lectionibus, collationes colloquia, ac diſputationes ſępius habere, quæ in Congregatione Angeli Cuſtodis per illius Rectorem ſemel in Hebdomada fieri ſolent; idcirco hortamur omnes Sacerdotes, ac præſertim Parrochos, alioſque Confeſſarios, tam ſæculares, quam Regulares, ne tam ſaluriferum, & vtile exercitium prætermittant, vt citius ea ſciãt, quæ ad tantũ Sacramentũ ſunt neceſſaria, ac tutius in caſibus difficilioribus iudicium ferant, ac abſolutionis beneficium impendant.

De Vita, & honeſtate Clericorum.

CVm Eccleſiaſtici omnes in ſortem Domini vocati, ne dum habitu, & veſtibus, à ſæcularibus ſecerni debeant, ſed etiam in probitate vitæ, ac morum honeſtate; idcirco præcipimus, vt vnuſquiſque Clericali tonſura, ſiue alijs ordinibus inſignitus, habitum, & tonſuram deferat iuxta

præ-

præſcriptum Sac. Conc. Trid. & ſacrorum Canonum, hoc eſt veſtem ſuperiorem, & inferiorem ſimplicem, & talarem, nigri tantum coloris, vna cum cingulo; caligas verò nec virides, nec rubeas, ſiue alterius varij coloris deferat, ſed vel nigri, vel violacei, vel pellis, vel albi, ſeu alterius modeſti coloris; calceamenta autem nigra tantum, vel ad ſummum cera delinita, ſeu vt aiunt, incerata, deferre poſſint, aliæ verò veſtes inferiores, modeſtiam, & non animi vanitatem præſeferant: comam denique ac barbam ſtudioſè nemo nutriat ſub pæna, toties quoties, tranſgreſſoribus ammiſſionis dictarum rerum, ac librarum trium ceræ albæ pijs vſibus applicandarum.

Cum Clericorum arma ſint orationes, & lacrimæ; propterea mandamus, ne Eccleſiaſticus aliquis cuiuſcumque ſit cōditionis, & ſtatus, aliquod armorū genus deferre audeat, præſertim pugiones, ſtila, enſes tormēta bellica ſiue paruula, ſiue magna, maccetta, ſmaglaturum, cultrum vulgo dictum, à fronde d'oliuè, plumbarolas, ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ, cuius abſolutionem Nobis reſeruamus. Cætera verò arma deferentes, ſi de earum delatione conuicti fuerint, ſoluant noſtro Procuratori Fiſcali pro qualibet vice ducatos decem, pijs vſibus, &c.

Si quis nocturno tempore poſt ſecundam noctis horam per Ciuitatem, vel ſuburbium ſine lumine inceſſerit, vel canendo, & ſonando, ſoluere teneàtur eidem Procuratori fiſcali ducatos decem, pijs vſibus applicandos: quod ſi in domo ſuſpectæ mulieris, vel alibi cum ea depræhenſus fuerit, exulet per triennium, vel per ſex menſes in carcere ſub clauibus maneat. Si autem familiaritas cum mulieribus, qualitatem habeat concubinatus, vel adulterij, ſeu inceſtus vltra pænas à Sac. Canon. præſcriptas contra Concubinarios, grauius à nobis arbitrio noſtro puniatur.

Nemo cuiuſcumque gradus, & conditionis exiſtat extra-

neis cum mulieribus cohabitet, nec prætextu ſeruitutis, vel alterius rationis, ſecum mulierem retineat, quæ ſit minoris ætatis annorum quinquaginta, & ſine noſtra licentia, ſub pæna ducatorum quinquaginta, ſi poſt dies quindecim ab hac promulgatione, mulieres minoris ætatis à propria domo non demiſerit, & multo magis ſi fuerint ſuſpectę.

Publicis ſpectaculis, pręſertim ab eorum vitę ratione alienis, & quę Chriſtum non ſapiunt, Eccleſiaſtici omnes in poſterum non interſint: vnde Comedias, fabulas, choræas, Aſtiludia, ac quodcumque prophanum ſpectaculi genus, nec agant, nec ſpectent, ſub pęna tranſgreſſoribus toties quoties librarum trium cerę albę pijs vſibus, &c.

Nullus in poſterum ad venationes pręſertim clamoroſas, vel cum ſclopettis egrediatur, nec extra Diœceſim abſq. noſtra ſpeciali licentia pernoctet: ſub pęna librarum decem cerę albæ, alijſque arbitrio noſtro infligendis.

Prope fontes, ac molendina huius Ciuitatis vbi mulieres, vel ad lauandum, vel ad frumenta molienda conuenire ſolent, Pręsbyteri, vel Clerici non commorentur, nec deambulent, ſicut nec Tabernas ingrediantur niſi iter facientes, ſub pęna librarum quinque cerę albę pijs vſibus, &c.

Nemo ſecularia Tribunalia adeat, ibique cauſas ciuiles, vel criminales ſub quocumq; prętextu promouere audeat, niſi obtenta prius à Nobis facultate in ſcriptis, ſub pæna ſuſpenſionis ſi ſit Sacerdos, ſi verò clericus librarum quinque ceræ albæ pijs vſibus, &c.

Per vias publicas, etiam prope Ciuitatem, nullus in poſterũ ſiue in ſacris, ſiue clericus quouis ludi genere, etiam non vetito ludere præſumat, ſub pæna duarum librarum ceræ albæ pro qualibet vice tranſgreſſoribus. Circa verò alia ludorum genera tam publica, quam priuata edictum noſtrum, alias ſuper hoc factum, omnino obſeruari mandamus.

Denique

Denique Eccleſiaſticos omnes, quibus publica maieſtas, grauitas, ac modeſtia conuenit, iterum monemus, vt vilibus ac ſordidis rebus non ſe immiſceant, ab illicitis negotiationibus ſe abſtineant, ac totis viribus Deo, cui ſeruire regnare eſt, in omnibus ſtudere placeant: nec ita domeſticis rebus vacent, vt eorum ad quæ tenentur, ex propria profeſſione, obliuiſcantur, dicente Domino, quærite primum Regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis; Ideoque quilibet Clericus Eccleſiæ ſeruitio, cui eſt aſcriptus, ſtatutis temporibus ſeruire non deſiſtat, alias eum fori priuilegio non gaudere declarabimus.

De Synodi Diœceſanæ anniuerſaria celebratione, & Cathedratico.

Diœceſanam Synodum, quæ hucuſque in Cathedrali Eccleſia huius Ciuitatis, die Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis celebrari conſueuit, pluribus ducti rationibus in aliud transferre tempus magis oportunum, ad maiorem Diœceſanorum commoditatem iudicauimus; idcirco pro eius annua celebratione diem 21. menſis Septembris decernimus, ac deputamus: in qua ſinguli Sacerdotes, & Clerici tam vrbani, quam Diœceſani mundis ſuperpelliceis, talari habitu induti, ac bireto, comparere teneantur, ſub pænis conſuetis abſentibus.

Quia aliquo legitimo fuerint impedimento detenti, non niſi eo nobis prius notificato, & facultate obtenta à ſolutione pænæ excuſentur: Archipresbyteri verò, ſiue Animarum Curati, ſicut cæteri Sacerdotes, onera ſoluenda tam Menſæ Epiſcopali, quam alijs, ſi prius non detulerint, illa die deferant, ſicut Cathedraticum iuxta ſolitum perſoluere teneantur.

De

CVm numerus Synodalium Examinatorum decurſu tẽporis,ſatis diminutus fuerit;vt Sacroſancti Con. Trid. decreto ſatisfaciamus,eligimus, ac confirmamus infraſcriptos omnes.

D. Ioannem Baptiſtam Coppam S.T.D.& huius Cathedralis Eccleſiæ Archidiaconum.

D. Nicandrum de Orlando S.C.D. & Primicerium.

D. Antonium Caracciolum V. I. D.

D. Nicandrum Vardarium S. T. D. ac Eccleſiæ Cathedralis Theologum.

D. Franciſcum Maſſarellum V.I.D. & Canonicum.

D. Ioannem Dominicum de Bellis V. I. D. & Canonicum.

D. Franciſcum de Carolo in V. I. Licentiatum.

Quiquidem omnes teneantur, in manibus noſtris, infraſcriptum iuramentum præſtare, ſicut præſtiterunt.

Formula Iuramenti.

EGo N. Examinatoris officium, quod ſuſcepi promitto, ſpondeo ac iuro (quacumque humana affectione poſtpoſita) me fideliter, & ſyncere, quantum in me eſt, executurum: ſic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

De Officio Archidiaconi, & Primiceriorum.

PRima poſt Pontificalem Dignitas in hac Cathedrali Eccleſia ex antiqua conſuetudine, eſt Archidiaconalis, quę omnes præcedit de Capitulo: cuius munus eſt Chorum dirigere in diuino officio, ac Miſſarum ſolemnium celebratione, hoc eſt perſonas deputando, ac Miniſtros aptiores eligendo, qui ſacris miniſterijs aſſiſtere, ac inſeruire debeant.

Ad eundem ſpectat, errantes in diuinis officijs corrigere, ſi præ-

præſens erit, eoſque extraordinarijs pœnis punctare in abſentia tamen ſuperioris; Epiſcopi ſcilicet, vel Vicarij generalis: ad ipſum denique ſpectat Eccleſiæ cura, ac regimen, in diſponendis, & ordinandis, quæ ad diuinum cultum, diuinorumq; celebrationem pertinent, eique omnes reuerentiam, & obſequium poſt ſuperiores præſtare debent.

Munus Primiceriorum eſt, in diuinorum officiorum celebratione pſalmos, & antiphonas præintonare, errores, qui circa cantum accidere ſolent, corrigere, & emendare, ac ea omnia, quæ canenda ſunt ordinare.

In reliquis, abſente Archidiacono, Primus Primicerius, quæ circa diuinum cultum ordinanda ſunt, ipſe diſponet, & in omnibus vices ſuppleat, ſicut etiam ipſo abſente Secundus Primicerius.

De Magiſtris Cæremoniarum.

MAgiſtri Cæremoniarum, duo ad minus ſint in Eccleſia Cathedrali, quorũ vnus ſemper Throno Epiſcopi, alter Celebranti aſſiſtat, quando Cappellæ fiũnt, ambo periti Sacerdotes ſint, & experti, ac ſępè præ manibus rubricas, Ceremoniale, ac Põtificale habeant, cæteroſq. Authores, qui de Eccleſiaſticis Ritibus declarationes ediderunt, vt Ceremoniæ, à quibus externus Dei cultus maximè pendet, exactiſſimè, vt decet, in hac noſtra Cathedrali Eccleſia fiant.

Præter hos duos, poterit alius eligi in coadiutorem eiuſdẽ muneris, qui paulatim inſtruatur, & in caſu legitimæ abſentiæ, vel impedimenti alterius illorum inſeruire valeat: ac ſi caſus poſtea mortis alicuius, ex duobus occurrerit, in demortui locum ſuccedere debeat.

Curẽt ſedulo prædicti Ceremoniarum Magiſtri, vt ab omnibus, & ſingulis, quid ſit agendum ex Rubricis Miſſalis, & Ceremonialis Epiſcoporum præſcripto, ſumma

qua decet grauitate, ac maieſtate perag[illegible]r, ſublatis omnibus abuſibus prætextu prærogatiuæ, vel conſuetudinis quouis modo, contra Miſſalis rubricas, vel Ceremoniale introductis, quos omnes hac præſenti Synodali conſtitutione, corruptelas eſſe declaramus.

Quando Cappellæ fiunt, vel Epiſcopus celebrat, inſignia deferant proprij muneris, nempe aliquam virgã in manibus, eiſque omnes pareant in his, quæ ad ceremonias, & Eccleſiæ ſeruitium ſpectant, abſque vlla contradictione: & ſi quos inuenerint eorum mandatis renuentes, vel inobedientes præſertim Clericos, etiam per vim coerceãt abſq; vllo humano reſpectu; non enim decet, vt ad quorum nutum Nos ipſi in Eccleſiaſticis ritibus omnia exequimur, alij eorum mandata contemnent. Cæteros verò maioris ætatis, ſiue Clericos, ſiue Sacerdotes in quocumque gradu conſtitutos, ſi inobedientes, vel irreuerẽtes, verbis, vel ſignis agnouerint, nobis referant, vt eos condigna punitione cohibeamus.

Curent, vt omnes, exceptis Canonicis, Epiſcopo genuflectant, & nedum Capitulum, ad recipiendum in ſolemnitatibus eundem Epiſcopum ad fores Eccleſiæ conueniat, ſed vniuerſus Clerus, & ſimiliter in diſceſſu vſq; ad eundem locum etiam aſſociare teneatur.

Quando Cappellæ fiunt, ipſi Magiſtri Ceremoniarum Magiſtratum, & officiales Ciuitatis admoneant, vt in ſolito ſeſſionis loco aſſiſtant; ſi thurificari, ac ſignum pacis recipere volunt; alias ſi extra dictum ſeſſionis locum vagauerint, ſolita eis thurificatio, ac pacis oſculum non exhibebitur.

Denique ad Magiſtros Ceremoniarum ſpectet, nouos Sacerdotes in Miſſæ celebrandæ Ritibus inſtruere, ac Nobis deinde in ſcriptis de illorum ſufficienti inſtructione teſtificari; alias nunquam alicui primum faciendi ſacrum facultas concedetur.

De

De Theſaurario Eccleſiæ Cathedralis.

PRæter ſupradictos Eccleſiæ officiales, adſit etiam Theſaurarius, cuius munus ſit prætioſa quæque Eccleſiæ, ſiue paramenta, & indumenta, ſiue vaſa argentea, Cruces, Candelabra, Baculum Paſtorale, Mitras, cæteraſque maioris valoris ſupellectiles, ſeruare, ac diligenter cuſtodire, eaque ſæpius viſitando reparare facere, ſi oportuerit: & quia facile pretioſa quæque indumenta conſumuntur, ſi vnicuique ea volenti, liberè concedantur; Idcirco volumus, vt veſtimenta ſacra meliora, ſemper ab ipſo ſub claui cuſtodiantur, ac detineantur, nec niſi in ſolemnioribus anni temporibus eorũ vſus omnibus permittatur, relictis ſolum ad commune ſeruitium indumentis illis, quæ minoris fuerint valoris, & conditionis. Curet demum Theſaurarius totius Eccleſiaſticæ ſupellectilis, quæ in Eccleſię theſauro cuſtoditur, exactum habere inuentarium, à Nobis, vel à noſtro Vicario generali ſubſcriptum, annotando ſemper quæ de nouo accreſcunt, vt quandocumque oportuerit, rationem reddere teneatur.

SVpradicta hæc omnia decreta, quæ ſolũ ad Eccleſiaſticã diſciplinam reſtituendam, & prauos mores, qui contra ſac. Canon. & Conciliorum decreta inualuerunt, extirpãdos. ſtatuẽnda decreuimus, & ſingula in eis contenta, ſicut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, & Sanctiſſimi Romani Pontificis vniuerſalis Eccleſiæ Paſtoris, à cuius ſententia recedere nephas eſt, & cui parere, & ſubiacere glorioſum, Nobis eſſe profitemur, emendationi, ac correctioni humiliter, & deuotè ſubijcimus; ita etiam firmitatem, obtinere, & in ſuo robore eouſq; volumus permanere, donec per Sedem Apoſt. prędictã, & eundẽ Beatiſs. Pontificem nõ fuerint reprobata.

Fr. Vincentius Epiſc. Venafranus, &c.

D. Nicolaus Antonius Iulianus Canonicus Hebdomadarius Synodi Secretarius.

Alcuni Ordini, e Decreti de' Romani Pontefici, Concilij, e Canoni.

De' quali ſpecialmente ſi fa mentione nel precedente Sinodo à comune vtilità volgarizati.

COSTITVTIONE DI PAPA PAOLO SECONDO

Sopra l'alienatione de' Beni Eccleſiaſtici, Poſta nell'Eſtrauaganti communi, nel cap. *Ambitioſæ de rebus Eccleſiaſticis non alienan.*

DEſiderando Noi di prouedere all'ambitioſa cupidigia di coloro principalmente che cercando con troppa anſietà le Diuine, & humane coſe, nõ curandoſi de l'eterna dannatione, ardiſcono di conuertire in vſi profani li beni ſtabili, e mobili pretioſi dedicati à Dio, con li quali le Chieſe, Monaſterij, e Luoghi pij ſi gouernano, & e' diuengono Illuſtri, e li Miniſtri di quelli ſi nodriſcano, e ſpeſano: ouero con eſquiſiti mezzi d'vſurparli, à danno grauiſſimo d'eſſi Miniſtri, e del culto Diuino. Con la preſente Coſtitutione, che vogliamo ſia di perpetuo valore, prohibiamo qualſiuoglia alienatione delle coſe, e beni Eccleſiaſtici, e qualſiuoglia patto, per il quale il dominio d'eſſi ſi trasferiſca, & ogni conceſſione, hipotecata, Affitto à più di tre anni, Infeudatione, e cõtratto d'Emfiteuſi, fuor che ne' caſi permeſſi dalle leggi, e di coſe, e beni ſoliti anticamente di darſi in Emfiteuſi, & all'hora in euidente vtilità delle Chieſe, e de' frutti, e beni, che con-

ſeruar

ſeruar non ſi poſſono ſecondo,che la neceſſità del tempo richiederà : Volendo nondimeno,che le Conſtitutioni, Prohibitioni, & altri Decreti fatti in queſta materia da' noſtri Predeceſſori, che col tenor della preſente rinouiamo,habbino la forza,che prima haueuano.

E ſe alcuno ſarà tanto temerario,che ardiſca contra queſta noſtra prohibitione alienare li predetti beni, e coſe; l'alienatione, Hipoteca, Conceſſione, Affitto, & Infeudatione ſiano totalmente nulli, e di neſſuna forza.

E tanto colui, che aliena,quanto quelli che le coſe, e beni alienati riceue, ſiano ſcommunicati.

E colui,che aliena i beni delle Chieſe,Monaſterij,e Luoghi pij di qualſiuoglia ſorte,ſenza ſaputa del Romano Pontefice, o contra il tenore della preſente Coſtitutione, ſe ſarà ornato di Pōtificiale,ouero AbbadialeDignità,ſia interdetto dell'ingreſſo della Chieſa in tutto,e per tutto. E ſe per ſei meſi immediatamente ſeguenti oſtinato (il che non piaccia à Dio, che auuenga) ſtarà nell'interdetto, ſcorſi i predetti ſei meſi,ſia ſoſpeſo dal gouerno; & amminiſtratione ſpirituale, e temporale della Chieſa, ò Monaſterio, al quale preſiede.

E li Prelati inferiori, Cōmēdatarij,e Rettori d'altre Chieſe; che tengono in qualſiuoglia modo beneficij, & amminiſtrationi, ſiano ipſo facto priuati de' Priorati, Prepoſiture, Dignità, Perſonati, Amminiſtrationi, Offitij, Canonicati, Prebende, & altri Benefitij Eccleſiaſtici, con Cura,e ſenza Cura,Secolari, e Regolari,de'quali ſono le coſe, e beni,che haueranno alienati ſolamente.

E quelli s'intenda eſſer vacanti ſenz'altra dichiaratione, e ſi poſſino conferire liberamente à perſone ſufficienti (eccetto però à quelle, che per ciò ſaranno ſtate priuate) da gl'ordinarij, ò da altri, à'quali ſpettarà la collatione; ſe però non foſſero generalmente, ò ſpecialmente alla diſpoſitione della Sede Apoſtolica riſeruati: e nondimeno le coſe, e beni predetti pertinenti innanzi l'aliena-

tione, già detta alle Chieſe, Monaſterij, e Luoghi pij, ritornino liberamente ad eſſi.

Non ſia dunque lecito in alcuna maniera ad alcuna perſona ſtracciare queſta noſtra carta di prohibitione, & innouatione, ouero ad eſſa temerariamente contrauenire: & ſe ciò preſumerà di tentare, ſappia, che ſarà ſottopoſto al giuſto ſdegno dell'Onnipotente IDDIO, e delli Beati Apoſtoli Pietro, e Paolo. Data in Roma, appreſſo S. Marco, il primo di Marzo, l'Anno dell'Incarnatione del Signore 1468. l'anno quarto del Noſtro Ponteficato.

DECRETI

Contra quelli, che occupano beni di Chieſa,

Cauati dal Sacro Concilio di Trento nella ſeſſ. 22. al cap. 11. de refor.

SE l'auaritia, radice di tutti i mali in tanto occuparà l'animò d'alcun Chierico, ò Laico di qualunque dignità riſplenda, anco Imperiale, ò Regale, che preſuma per ſe, ò per altri con forza, o con timore, ouero ancora per ſuppoſte perſone di chierici, ò laici, ò vero con qualſiuoglia arte, o procurato colore, conuertire in proprij vſi, & vſurpare, o impedire che non ſi riceuano da coloro, à chi le raggioni toccano, le giuriſdittioni, beni, cenſi, e raggioni, anco feudali, & emfiteotiche, frutti, emolumenti, ouero qualſiuogi a ſouuentione, che ſi debba conuertire in neceſſità de'Miniſtri, e poueri di alcuna Chieſa, ouero di qualunque benefitio ſecolare, ò regolare, di Monti di Pietà, e di

di altri luoghi pij; queſto tale ſoggiaccia all'anathema (cioè alla maledittione, e ſcommunica maggiore) ſin tanto che hauerà intieramente reſtituiti alla Chieſa, e ſuo amminiſtratore, ò beneficiato le giuriſdittioni, beni, robbe, raggioni, frutti, e rendite, le quali haurà occupate, ouero in qualſiuoglia modo, anco per donatione di ſuppoſita perſona, gli ſaranno peruenuti nelle mani, e ſin che hauerà ottenuta l'aſſolutione dal Pontefice Romano. E ſe ſarà padrone della medeſima Chieſa, ſia ſubito, oltre l'altre pene, priuo anco del Iuſpatronato. Et il chierico, che ſarà ſtato fabricatore di queſto ſcelerato inganno, e di tale vſurpatione, ò ne ſarà ſtato conſentiente, ſottogiaccia alle medeſime pene, e di più reſti priuo d'ogni ſorte di benefitio, e ſia fatto inhabile a qualunque altro beneficio; & anco dopò l'intiera ſodisfattione, & aſſolutione ſi ſoſpenda dall'eſecutione de' ſuoi ordini ad arbitrio del ſuo Ordinario.

Impedimenti del Matrimonio, cauati da gli antichi Canoni.

GLi impedimenti, che impediſcono il poter contrarre il Matrimonio, e ſciolgono il già contratto, ſono compreſi ne' verſi ſeguenti.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas:
Si ſis affinis, ſi forte coire Nequibis.
Si Sponſam rapies, ſi clandeſtinus inibis.
Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.

E R R O R.

IL Primo è l'Errore circa la ſoſtanza della perſona, cioè S'io intendo di far parentado con la primogenita, è mi

vien

vien data vn'altra. In tutti queſti caſi, e ſimili il Matrimonio è nullo. Ma ſe l'errore fuſſe circa la qualità della perſona, come è à dire, ſe credeua, foſſe bella, e ricca, ma non è tale, il Matrimonio è valido.

CONDITIO.

IL Secondo è la conditione, cioè ſeruile; come è à dire, ſe vno ſi accaſa con vna Schiaua, che credeua eſſer libera, eſſendo egli libero: il Matrimonio non tiene: il medeſimo è ſe la donna piglia vno Schiauo, il che ſe ſapeſſe, non lo torrebbe.

VOTVM.

IL Terzo impedimento è il Voto ſolenne fatto in vna Religione approuata per profeſſione eſpreſſa, ò tacita, o nel pigliar gl'Ordini ſacri.

COGNATIO.

IL Quarto impedimento è la parentela; la quale è in tre modi, cioè Naturale, Spirituale, e Legale. La Naturale toglie & impediſce il Matrimonio inſino al quarto grado incluſiuè, & facendo il Matrimonio con tale impedimento li contraenti ſono ſcommunicati, ſe l'ignoranza non gli ſcuſa. La parentela Spirituale ſi piglia dal Sacramento del Batteſimo, e della Confermatione, e queſta toglie il Matrimonio ſolamente tra colui, che Battezza, ò tiene à Batteſimo, ò à Creſima, e colui, che è Battezzato, ò Creſimato: e ſimilmente trà quello, che Battezza, ò Creſima, ouero tiene à Batteſimo, ò à Creſima, e'l Padre, e la Madre del Battezzato, ò Creſimato. La parentela Legale è vna propinquità, che naſce dall'adottione, e queſta hà tre gradi. Il primo è d'aſcenden-

ti

ti, e deſcendenti dell'adottato: è queſto impedimento non ſi toglie per lo ſlegamento dell'adottione, nè per l'emancipatione. Il ſecondo grado è quaſi traſuerſale, cioè fra l'adottato, e i figlioli naturali dell'adottante durante l'adottione, e ſtando il figliolo naturale nella podeſtà del Padre, e non altrimenti. Il terzo grado è vna certa affinità legale, cioè tra la Moglie dell'adottato, e la Moglie dell'adottante, la quale dura perpetuamente, come la prima, e ciaſcheduna di queſte parentele impediſce, e rompe il Matrimonio.

C. R I M E N.

